DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE MORBIS EX DEFECTU MOTUS VITALIS ORIUNDIS.

QUAM

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

D. JOANNIS ESGERS,

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORIS, EJUSDEMQUE FACULTATIS, UT ET ANTIQUITATUM HEBRAICARUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA PROFESSORIS ORDINARII.

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu,* *& Nobiliſſimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis, rite ac legitime conſequendis,

Eruditorum Examini ſubmittit

EELCO MOLINUS,

a Pago 's Heeren-Veen, Friſius.

Ad diem 17. *Auguſti* 1752. *hora locoque ſolitis.*

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud NICOLAUM MOENS, 1752.

DEO,

PATRIÆ,

PARENTIBUS,

PRÆCEPTORIBUS,

ATQUE

AMICIS

Hancce diſſertationem
ſacram cupit

EELCO MOLINUS,
AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

MORBIS EX DEFECTU MOTUS VITALIS ORIUNDIS.

§. I.

Omnes, quotquot ſunt morbi, ex cauſſis internis oriundi, a motu vitali aucto, imminuto, depravato, abolito proxime oriri, ipſamque mortem contingere facile noverit is, qui partium firmarum actionem in fluida contenta, & horum in firmas perſpectam habuerit. *Mutuæ hæ actiones* (Medici vitales vocant) juxta naturæ leges procedentes, ſunt *vita ipſa* corporis animati; *cauſſa vitæ; effectus.*

Eas ipſam vitam eſſe, ipſum punctum ſaliens, ſive rudimentum fœtus, evincit; in quo alternus ſaltus a vita non diſtinguitur. Ineſt ſtamini ſolido vis oſcillatoria in guttulam fluidi movendi: ineſt guttulæ fluidi vis reagens, ut inde reſultet effectus ſenſibilis, quæ ipſa vita eſt. Nec

ipſa vis ſeorſim ſpectata in fluido aut firmo, vita eſt dicenda; nec alia requiſita; ſed complexus omnium. Num vero prius ſolida ſtamina a fluidis, an vice verſa fluida a ſolidis in actum deducantur, aliis determinandum relinquo. Conſtat experimentis in guttula ſanguinis, recens ex homine vegeto emiſſi & adhuc calentis, miram particularum ſeu globulorum obſervari agitationem: eos ad ſe invicem allidi, reſiſtere, moveri per omnis generis directiones, prout magnitudine & pondere ſpecifico & vi attractili, qua quælibet alterius centrum conatur occupare, differunt. Durat hæc agitatio, quamdiu calor nativus inhæret. In frigefacta motus eſt nullus, quin etiam decreſcit proportionaliter calori decreſcenti. Motus hic Medicis inteſtinus, quoque vitalis dicitur. Hic in vegeta ætate major, quam in vergente: in ſanguineo alacrior quam in phlegmatico, de quo plura ſuis locis.

Ipſæ autem actiones reciprocæ partium firmarum & fluidarum vitæ corporeæ *cauſſa* dici poſſunt, quatenus vita ipſa hæc prima elementa non efformat, neque complexum cauſſarum partim inſitarum, partim applicatione naſcentium, adeoque nec ipſam primam producit actionem, hujus quippe natura ipſa eſt principium, omni prius, omni poſterius, cauſſam efficientem in actum deducens, leges infundens. Vitam perfectam, ſive ſanitatem integram dicimus, ſi in homine omnes functiones juxta leges commode, læte & conſtanter exerceri deprehenduntur: tum vero omnes conditiones requiſitæ tam firmarum quam fluidarum partium, a natura præſcriptæ, adſint neceſſe eſt. Bonum ex integra cauſſa; malum ex quolibet defectu. Omnia hæc a circulatione fluidorum dependent: ita ut motus iſte vitalis ut vitæ cauſſa agnoſci jure poſſit.

Poteſt & vitæ effectus dici, quatenus illa ſemel poſita perfecta motus iſtos conſervat, renovat. Ex his intelligitur, quo ſenſu dicatur vita aucta, imminuta, maxima, minima, otioſa, laborioſa, proba, diſſoluta, vitæ conditio, genus &c. Quum autem morbi a motu vitali imminu-

to

o longe frequentiores ſint iis, qui ex motu præter natuam aucto oriuntur; de his in hoc Themate dicere conitui.

§. II.

Quum omnes motus in oeconomia corporis humani, am fluidorum progreſſivus per vaſa, quam inteſtinus; am fibrarum oſcillatorius, quam voluntarii (ſive ſpectenur ut cauſſæ, ſive ut effectus, modo ſecundum naturam rocedant) ut & omnes mutationes inde reſultantes, uti onverſio alimentorum in chylum, ſanguinem, ſuccum utritium, nutritio ipſa, ſecretiones, excretiones harmoiam quamdam conſtituunt, quæ vita perfecta aut ſanitas ecte dicitur, has omnes ad motum vitalem refero. *Quano actiones vitales, quæ verſantur in motu, ſenſu & nutritione nachinæ, læſæ ſunt, tunc dicitur adeſſe morbus.* Fr. Hoffm. ap. de Morbis in genere & eor. cauſſ. Quoniam vero notus humorum progreſſivus ſanguinis & liquidi nervei rincipes ſunt, de iis primo agendum erit.

§. III.

Motus vitalis ſecundum naturam procedere dicitur, ſi icta fluida debita copia, celeritate, juſto impetu per aſa & viſcera univerſi corporis moventur.

Cujus ſigna ſunt functionum integritas, conſtantia cuiibet, ætati, temperamento propria. *Qui actiones homini roprias exercere valet cum facilitate, oblectamento & quadam onſtantia, ſanus habetur.* Boerh. Inſt. §. 1. Actiones auem homini propriæ non modo illæ ſunt, quæ ex fabrica omini propria dependent, ſed & quæ cuilibet ætati prorriæ, ut & ſcientiarum & artium variarum exercitia.

§. IV.

Cognoſcitur itidem, *pulſu arteriarum, quum nunciet conditionem definitam cordis noſtri ut motoris primi, tum indolem*

co-

copiam, motum humoris univerſalis, unde reliqui omnes; tum & ſtatum varium arteriæ, vaſis fere primarii omnium partium corporis. Boerh. Inſt. §. 958. Pulſus fortis, magnus, æqualis, tardus indicio eſt, motum vitalem vigere. Vis, magnitudo, frequentia cuilibet ſubjecto propria, apto tempore exploranda, non ſub ipſo exercitio, aut animi affectu, ſed in ſtatu pacato; niſi neceſſitas aliud ſuadeat.

§. V.

Reſpiratio facilis, magna, lenta, æqualis motûs vitalis rite procedentis quoque index eſt: ſic & urina copiâ, qualitate, tempore rite excreta innuit, motum iſtum per viſcera expeditum. Hæc vero ſigna rariſſime in homine ſano uſu veniunt; a Medico tantum in ſpecie ſeu in abſtracto conſiderantur, ut fiat menſura reſpectu eorum, quæ in ægris contingunt. Ipſarum functionum exercitia §. 3. ſunt palmaria, fideliſſima, omnibus obvia.

§. VI.

Motus vitalis imminutus dicitur, ſi intra datum tempus in dato ſubjecto minor quantitas ſanguinis ex corde ſiniſtro expellitur, aut minor per venas ad cor dextrum redit, quam in ſanitate conſuevit; aut utrumque ſimul obtinet. Primum contingit, ſi in pulmone ejus fiat congeſtio, uti in meditabundis. Secundum in quiete corporis poſt exercitia. Tertium in hæmorrhagiis narium, uteri &c. & in vulneribus. Eſt hic conſideranda quædam latitudo intra certos terminos, cuivis homini propria, intra quos ſanitas illæſa perſiſtere poteſt. V. G. dum humores exercitio corporis, aut cibo potuve ſtimulante aſſumpto, rareſcunt; aut potus aquoſus blandus ingeſtus, cito ad ſanguinem delatus, ejus copiam auget, augetur celeritas motus circulatorii, quæ inducta quiete, aut excreta copia ad priſtinum ſtatum citra ſanitatis diſpendium reducitur, niſi exceſſus admiſſus ſit. Sic deminutio maſſæ

per hæmorrhagias S. M. quatenus copia nimia exterminatur, potius ſalutaris quam noxia dicenda, qua ſubinde motus nimius imminuitur, ſubinde imminutus augetur pro re nata. De hac deminutione mihi ſermo non eſt, verum de ea, qua functiones inde pendentes læduntur.

§. VII.

Deminutio motus vitalis vel obtinet in univerſo corpore, vel in aliqua parte. In univerſo corpore, ſi contingit in ſyſtemate arteriæ aortæ, pulmonalis: venæ cavæ, portarum, pulmonalis: organis ſecretoriis, ſyſtemate nerveo. Fluida contenta tunc tardius cum diſpendio ſanitatis moventur: dico cum diſpendio ſanitatis, nam uti augeri citra illud, ſic imminui poteſt ætate increſcente. Eâ proportione augetur, quo vaſa numero & magnitudine increſcunt: imminuitur pariter, prout vaſa minima cum fluido contento & inter ſe in ſolidum continuum coaleſcunt concreſcuntque. Sanitas nihilominus non modo perſiſtit, verum firmior contra injurias externas evadit, homoque aptus fit iis peragendis, quæ ætas, corporis conſtitutio, animusque admittit, modo uſu intempeſtivo rerum non naturalium iſta vaſorum concretio non acceleretur. Homo in vigore dicitur eſſe, ſi hæc concretio ad eum gradum pervenerit, ut ſit æquilibrium actionum fluidorum in firma, & vice verſa. Si tum ſuperſtites meatus, & vires ſervari poſſent, homo in eodem ſtatu perſiſteret, & nunquam fata ſenectutis experiretur. Verum quum nullum hucusque remedium innotuit, motus vitalis pergit ea proportione imminui, quo vaſorum ultra æquilibrium contingit abolitio, donec ad minima redactus tandem deſinat in quietem fatalem ſeu mortem.

§. VIII.

Signa deminutionis præternaturalis ſunt languor functionum; pallor; frigus, ſeu deminutio caloris naturalis in toto vel parte; pulſus parvus; debilis; reſpiratio læſa, uri-

na cruda &c. quæ ut effecta conſideranda, de quibus plura inferius.

§. IX.

Cauſſæ motum vitalem præter naturam deminuentes variæ occurrunt, quæ homini ſano, qualem ponimus, nec hæreditaria nec alia labe inquinatum, applicatæ motus ipſius cauſſas minuunt partes firmas nimis laxando, eorum tonum dejiciendo, ſolvendo; fluidas vitales profundendo, coagulando, reſolvendo, corrumpendo &c. Quoniam omnibus morbis quivis homo plus minus expoſitus eſt, prout ætas & ſexus fert, cauſſæ illæ applicatæ procatarcticæ vocari poterunt, lato ſaltem ſenſu; ſua enim natura morbos & mortem inducere poſſunt, ut ignis, venena, vis irruentium, aliaque. Viſum mihi claſſem a Boerh. §. 744. & ſeqq. propoſitam ſequi, modum, quo motum vitalem minuunt, effectaque inde producta recenſendo.

§. X.

Primo occurrit aër, qui, uti ſerenus, purus, gravis, temperatus, elaſticus, aut noxiis corporum exhalantium effluviis non inquinatus maxime ad vigorem motus vitalis confert, ita ab his Characteribus longius recedens motum ipſum ſummopere lædit. Conf. Inſt. Boerh. §. 1029, 1060. Aër purus quidem in noſtra atmoſphæra non exiſtit, tantum reſpectu meteorum ſenſibilium ſic dicitur, ut ſunt nubes, nebulæ, fœtida inviſibilia, aut miasmata non niſi effectu producto percipienda. Aëra purum exiſtere implicat, & ſi exiſteret, ad vitæ conſervationem ineptus foret. Latet in eo ex mente veterum occultus vitæ cibus, heterogeneis ſemper refertus, radiis ſiderum, foſſilium, vegetabilium, animalium effluviis, variæ tempeſtatis cauſſis. Gratis aromatum nonnullorum odoribus homo quam maxime reficitur, dejectas inde ſæpe vires recuperat; ingratis autem Idioſyncraſiæ adverſis offenditur. Inter noxia effluvia aëri immixta primas ſibi vindicat nimia ignis copia.

§. XI.

§. XI.

Aër æſtuans corpus expandit, meatus aperit, tenuiſſima fluida aufert, reliqua inſpiſſat. vid. Inſt. Boerh. §. 746. Minuit igitur copiam fluidi tenuiſſimi, quæ proxima liquidi nervei inde ſecernendi, & nutrituri &c. materies imo vehiculum globulorum rubrorum, ſeroſorum &c. merito vocari poteſt. Si diutius corpori applicetur, nec aſſidue convenienti liquido temperetur, ſequentia contingere ſolent, imprimis in plethoricis calidis. Humores reſidui vehiculo magnam partem deſtituti, inſpiſſati difficilius moventur, attritu majore incaleſcentes rareſcunt; in majus volumen expanduntur; oritur plethora ſpuria; febris inflammans; motus vitalis in vaſis majoribus auctus, in minimis imminutus; obſtructiones; dolores per univerſum corpus; ſpaſmi a tenſione, irritabilitate; affluxus liquidi nervei reſidui aliæque nervorum affectiones; inflammationes viſcerum; peripneumoniæ; pleurides, prout corpus æſtuans in hanc vel illam partem frigus admittit. Hæc quidem oriuntur a motu vitali aucto, verum in vaſis primi aut ſecundi generis non fierent, ſi per vaſa minima liber eſſet transfluxus.

Curatio conſiſtit in S. M. quiete corporis; diluentibus, reſolventibus; aëre temperato, qualis ſolet eſſe ædium parte inferiori verſus ſeptentrionem, aut exhalatione diſperſæ aquæ frigidæ &c. Conf. Inſt. Boerh. §. 1031.

Niſi in principio natis his malis occurritur remediis modo recenſitis, obſtructiones fiunt tenaciores, viribus naturæ & artis ſuperiores; ſuccedit ſuppuratio, aut gangræna, ſphacelus, mors.

Quando uberius colligitur ſanguis in minimis vaſculis, ibique ſtagnat, doloris & caloris moleſtum ſenſum producit, donec ſenſim correptus in pus vel ſaniem abit Frid. Hoffm. T. 2. c. 5. §. 20. Quid in his agendum ſit, ex præſenti morbi natura magnitudine, ſtatu, viribus ægri colligendum juxta regulam Boerh. Inſt. §. 1083. *Agenda & actura non indicantur, niſi cognita prius vita, hujus cauſſa, ſtatu, viribus; effectis;*

tum & perſpecto prius morbo, ejus cauſſa, ſtatu, viribus, effectis. Hæc in ſequentibus loco curationis eſſe volumus.

§. XII.

Aër gelidus corpus conſtringendo orificia exhalantia arctat, perſpirationem inhibet, motum vitalem in minimis vaſis cutaneis ſuffocat, niſi, circulatione motu muſculari aucta, reſiſtentia extrinſecus ſuperetur; inde Catarrhi a ſuppreſſo perſpirabili &c. ſi vero motu muſculari reſiſtentia ſuperetur, actio vaſorum univerſi corporis, frigore & gravitate aëris in minus volumen redacti, augetur, ſic & attritus, attenuatio fluidorum, diſpendium ſubtiliorum, exinanitio canalium minimorum; inde animi deliquia, a motu vitali liquidi nervei & ſubtiliorum per vaſa minima imminuto Conf. Inſt. Boerh. §. 747. Præprimis hæc contingere ſolent, ſi aër calidus ſubito in frigidum mutetur, uti tempore verno, & autumnali obſervari ſolet. Magnus Boerh. dictis incommodis obviam iturus regulam præſcribit Inſt. §. 1051. his verbis: *neque eſt aliud, quod plus defendit corpora contra vim cauſſarum externarum, quam ſi, quis verno tempore tarde minuat veſtimenta hyberna, rurſumque cito augeat æſtivas veſtes autumnali tempore.*

Hoc præſidium optimum quidem eſt quoad ſuperficiem corporis externam, ſed quid defendet pulmones? Sanguis in iis magis frigori expoſitus, quam in ſuperficie corporis; ſuperficies concavæ veſicularum aëriferarum Malpighii ſimul ſumptæ forte majores ſunt quam univerſi corporis, ſunt cute laxiores; oſcula perſpirantia plus perſpirant; aër frigidus inſpiratus tenuibus & nudis membranulis applicatur; inde eadem mala, ac ſi corpori nudo applicatus fuiſſet. Sola conſuetudo loci hic partes agit, & mirantur ſæpe homines ſanitatis ſtudioſi regulam Boerh. adcurate obſervantes, ſe nihilominus Catarrho Correptos. Cauſſam noſcerent, ſi pulmonum conditionem perſpectam haberent.

§. XIII.

§. XIII.

Reliquas aëris conſtitutiones motum vitalem minuentes hic recenſere nimis longum foret, præſtitit hoc Hippocr. in libro omni poſteritati ſuſpiciendo de aëre, aquis & locis. Si omnes morbi ex qualitatibus noxiis ad calculum referantur, ex decem ad minimum novem a motu fluidi vitalis imminuto dependent. Cæterum quæ exceſſus humidi, ſicci gravis, levis aut heterogeneorum miſcela efficiat, de iis Conſ. Boerh. l. c. §. §. ſeqq. Sydenh. Rhamaz. Hoffm. aliique. Contentus modum, quo illa motus vitalis imminutio fiat, & qua ratione morbi inde oriantur, indicaſſe, ad alimenta tranſeo.

§. XIV.

Cibi & potus neceſſitas ad conſervandam vitam & ſanitatem omnibus nota, aſt rectus horum uſus omnibus notus non eſt. Hinc morbi oriuntur, & non raro mors ipſa. Abuſus præcipue committitur copia, qualitate, modo, & tempore.

§. XV.

Exceſſus cibi nimis diſtendit ventriculum; inde humorum motus, compreſſis ad ſe invicem membranis, & elongatis vaſis, minuitur; ex parte ſuffocatur: excretio humoris gaſtrici, reſorptio deficit; inde impedita digeſtione oritur cruditas, corruptio, morbi ſpontanei. Præterea impedita diaphragmatis contractione difficultas reſpirandi; hac poſita, læditur circulatio libera per pulmones. Quid in reliquis circumpoſitis, hepate, liene, pancreate, inteſtinis fiat, docet ſitus & natura harum partium: compreſſo colo ſub ventriculo decurrente, retardatur progreſſio fecum verſus lienem: compreſſa vena cava inferiore & aorta ſanguis majori copia ruit ad caput: compreſſis minimis canalibus Encephali, impeditur liquidi nervei excretio, unde ſopores &c.

Incommoda hæc eo majora, quo magis ventriculus infartus, quo aſſumpta magis reſiſtunt, ut farinoſa non fermentata viribus digeſtricibus; quo magis rareſcunt, ut panis fermentatus. Non vero indiſcrete omnes nimiam copiam aſſumentes æque graviter mulctantur; ſed debiliores præ fortioribus; otioſi præ laborioſis; magis æſtate quam hyeme. Juſtam autem copiam conjectura colligere oportet, neque pondus, neque numerus copiam determinat, aſt ſenſus refectionis, quem nonnunquam varietas eduliorum fallit. Vide Hipp. de priſc. Medicina & lib. de ſalubri vict. rat. S. IV. *Copia cibi optima cuique, quam ſequitur ſenſus refectionis non torporis. Tutior ſobrietas, ſed debilibus: exceſſus melior, ſed robuſtis.* Boerh. Inſt. §. 1039.

§. XVI.

Si quis præter morem, repetitis vicibus plura alimenta aſſumit, licet mala recenſita mox non advertat, tutum ſe eſſe tamen non exiſtimet. Nata inde aucta cruditate temporis progreſſu morbi orientur; *neque morbi derepente hominibus contingunt, ſed paulatim acervatim ſe produnt.* Hipp. lib. I. S. IV. de rat. vict.

§. XVII.

Incommoda copiam alimentorum non ſufficientem ſubſequentia ex iis, quæ inedia inducit noſcuntur prævidenturque. De his conf. Boerh. Inſt. §. 757. In omnibus iſtis ordine recenſitis ſubeſt motus vitalis imminutus; deficiunt enim ſubtiliſſima: quod vero deficit, in motu eſſe dici nequit. Febris furioſa ante exſtinctionem obveniens ponit quidem motum auctum, aſt in vaſis majoribus ab acri concitatis: nervos quod attinet, potius cauſſa movens extrinſecus eos afficit, quam præſentia liquidi contenti, ſi canales eſſe ponantur. Eo minus ſanitas læditur quo minus a conſueta copia receditur. Nycthemeri abſtinentia obſtructiones lentas ſæpe optime curat,

urat, ut & vitia repletione eximia contracta. *Non levius eccatur*, inquit Hippocr. de priſc. med. *neque minus lædi-ur, ſi quis pauciora & infra modum aſſumat; fames enim plu-imum poteſt in hominum natura tum ad ſanitatem & imbecilli-atem, tum ad mortem inferendam. Multa vero alia mala & aria quidem ex plenitudine oriuntur, neque vero minus gravia x inanitione.*

§. XVIII.

Cauſſæ ſitis motu vitali indeſinenter naſcentes inevita-ilem potus neceſſitatem inducunt, ut ſunt ſiccitas, im-eabilitas, acrimonia, potu aquoſo, aut vinoſo diluto ollendæ. Cujus exceſſus aut defectus mala infert, ex otus natura intelligenda. Abuſus potus aquoſi omnia axando vim vitæ inſigniter minuit; inertiam tam firmis uam fluidis conciliat; ſecretoria tono deſtituta retinenda ransmittunt, (ut in diabete morbo olim rariſſimo, nunc requenti) nimium menſium fluxum, eorum retentionem, quoſorum in interioribus colluviem, leucophlegmatiam, ydropem, Chloroſes &c. producit. Dum nimis ſpiri-uoſi fuerint, coagula ſeroſa, obſtructiones, canalium ninimorum concretiones, & quæ inde ſequuntur.

Omnia hæc ex motu vitali imminuto, abolito contingunt.

Plurima eaque ſummi momenti hic ſe offerunt dicenda, uæ ex parte in §. §. ſeqq. & ab Hipp. lib. 1. & 2. de rat. vict. exponuntur. Curatio præcipue ex ingeſtis innoteſcit, exemplo Caſſii Medici ingenioſiſſimi apud Celſum lib. 1. circa finem, hic febricitanti cuidam & magna ſiti affecto, quum poſt ebrietatem eum premi cœpiſſe cognoſceret, a-quam frigidam ingeſſit, qua ille epota, quum vim vini miſcendo fregiſſet, protinus febrem ſomno & ſudore diſ-cuſſit. Cætera abſtinentia perficiuntur, eorum ſcilicet, quibus mala arceſſita. Ratio itaque victus adhibiti oſten-dit rationem victus adhibendi.

§. XIX.

§. XIX.

Medicamentis, quorum in ſanitate nullus debet eſſe uſus, non raro motus vitalis dejicitur, ut ſunt ſeptica, mercurius, ſcammon. Jalapp. Aloë &c. his fluida vitalia ex parte ſolvuntur; ſoluta ad inteſtina delata alvo ejiciuntur, ita ut homo iis purgatus, ægre nec niſi poſt multos dies vigorem priſtinum recuperet. Medicamenta non ſemper proſunt ægris, nocent ſemper ſanis, Celſo teſte.[1] Uti in ægro ſemper aliquid, ita in homine ſano nil mutandum: ſed modo convenienti rerum non naturalium uſu conſervanda omnia, quæ vitam & ſanitatem conſtituunt. Agyrtæ, quo ſimplicioribus ſua medicamenta commendent, a morbis eos uſu eorum fore immunes, jactare ſolent; aſt verus Medicus ea prorſus damnat, ſanitas, ipſa eſt validiſſimum contra morbos præſidium: & *cavendum, ne ſecunda valetudine adverſæ præſidia conſumantur.* Celſ. cap. 1.

§. XX.

An igitur nullum datur prophylacticum contra morbos contagioſos? præter res non naturales nullum novi ad ſanitatem integram tuendam: in morbis vero, ne graviores fiant, aut alios producant, quam plurima.

§. XXI.

Motus corporis nimius motum vitalem quidem auget, aſt ſimul fluida ſubtiliſſima diſſipando cauſſas vitæ minuit. Nimius autem dicendus eſt, qui vires cito exhaurit, aut qui ultra vires protrahitur. Ut enim moderatus corpus firmat, ſic intempeſtivus maxime debilitat. Quæ de aëre æſtuante dicta ſunt, huc ſpectant. Conſ. §. 766. Inſt. Boerh.

§. XXII.

§. XXII.

Inter cauſſas motum vitalem imminuentes, præcipuæ ſunt vigiliæ nimiæ. *Vigilia nimia conſumit ſpiritus, nulla arte niſi ſomno reparandos.* Boerh. Inſt. §. 768. Magna vero in vigiliis nimiis eſt differentia: aliæ ſunt ſtudioſorum veritates ex profundo eruentium: aliæ hominum Veneri & Baccho litantium: aliæ duros labores exercentium: aliæ famelicorum: aliæ juniorum, fortium: aliæ ſeniorum, debilium: aliæ ſuetorum, aliæ inſuetorum. Omnis vigilia cauſſas vitæ, adeoque ipſam vitam minuit, alia vero efficacius, mitius alia, quod ex ſubjecto & genere vigiliæ determinandum.

§. XXIII.

Vitam Philoſophorum, profundiſſimis ſpeculationibus inhærentium, ad motum, an potius ad quietem nimiam referam, anceps hæreo. Dum enim ita meditabundi ſtant, ſedent, aut immobiles jacent, ſuique immemores, dormientes potius quam vigilantes diceres. Adeo huic vitæ generi & perverſo genio indulgent, ut etiam diſcumbentes ſui obliviſcantur, & magis naturæ variæ alimentorum, quam oblectamento inde percipiendo attendant, effectus cauſſarum perſcrutantes; tantum abeſt, ut aliis, qui juxta præceptum C. Celſi cap. 1. *gaudia curis interponendo vitam agunt*, plus proficiant, ut ſui ingenii vires obtundant, & exhauriant. De iis hoc loco inter vigiliam & ſomnum mediis dicere conſtitui.

§. XXIV.

Hi dum a principiis ſeriem cauſſarum & effectuum ad ultimum, qui in dato objecto obtineri poteſt, aut vice verſa ſeriem effectuum & cauſſarum ad principia revolvunt; mens intenta nuſquam quieſcit, omnes actiones corporis fere ſopit, actionem objectorum quorumcunque

organa ſenſuum afficientium vix advertit, Archimede & Viëta teſtibus; ipſa reſpiratio, actio ad motum vitalem promovendum adeo neceſſaria, iis eſt moleſta. Quod ſi veritate inveſtigata, & reperta quieſcerent, & ad alia tranſirent, levius luerent naturæ repugnantis & vindicis pœnas. Verum reperta hac veritate ut principio, ad novas inde detegendas extemplo ruunt. Quænam ejusmodi intempeſtiva mentis intentione in oeconomiam animalem redundent mala, meum non eſt ætiologice exponere, quum experientia id ultro triſtibus tot eventibus palam fecerit, & quam plurimi a ſapientiæ foro ad delirantium emporia tranſierint, ubi omnis generis deliria gratis venalia; eorum aliis ſe vitreos, aliis cucurbitas vel Reges eſſe ſomniantibus.

Quid facias illis, niſi jubeas libenter miſeros eſſe, quum ne tota Anticyra quidem ſanabiles. Si tamen de morbo interno querantur, Medicique opem implorent, ad fontes medicatos ablegandi, ut ibi deambulatione, confabulando cum aliis, divertantur. Conf. Fr. Hoffm. de delirio melancholico ita diſſerentem. §. 26. *Mihi denique ſi ullum remedium ceu ſpecificum, id eſt quod ſingulari quodam & præcipuo effectu multoties ſe comprobavit, in hiſce mentis affectibus, tum præcavendis, tum abigendis commendare licet, nec certius, nec efficacius decenti ad vires corporis inſtituta exercitatione novi, nam, modo liquidum in ſanguine non deficiat, hoc remedium viſcidos humores reſolvendo, liberiorem ſanguinis per omnia vaſa circuitum promovendo, corpus ab impuris ſordibus per auctam tranſpirationem liberat, obſtructiones reſerat, adeoque omnibus aliis ſumme commendatis remediis antecellit longiſſime.*

§. XXV.

Omnia hæc mala a circulatione liquidi nervei aut ſubtiliſſimorum fluidorum abolita, aut inæquali reddita, aut congeſtione alicubi facta dependent. Taceo infinita incommoda inde oriunda, ut malum hypochondriacum, iſchiaticum, morbos articulares.

§. XXVI.

§. XXVI.

Cave interim, ne meditabundum, geſticulantem, frontem, aures fricantem, caput quatientem, ridentem lacrymantem inſanire dicas, niſi ſermo ipſe delirii indicia præbeat: quemadmodum Abderitæ bonum & ſapientem Democritum inſanire dicebant; ad quem curandum Hippocrates legatus auditis riſûs cauſſis virum ſapientem, ipſos autem Abderitas inſanientes proclamavit; ut patet in Epiſtola ad Damogetam.

§. XXVII.

De quiete, ſomno nimio, animi affectibus, quibus motus vitalis imminuitur, depravatur, ex parte aboletur, conſule effata Boerh. Inſt. §. 769. ad 71. Nunc de excretis & retentis quædam adjicere eſt animus.

§. XXVIII.

Omnes ſecretiones præter naturam contingentes, in exceſſu vel defectu conſiſtunt, ſive ſponte, natura, vel arte; caſu, aut malo mentis conſilio contingant.

Quid efficiat nimia excretio ſalivæ, ſucci pancreatici, bilis, humoris inteſtinalis, ſudoris &c. quum tantum in ſubtiliorum diſpendio conſiſtant, ex iis quæ §. 12. & 21. dicta ſunt, & ex ſingulari eorum uſu abunde patet, ut & quæ iisdem ſuppreſſis oriantur mala. Uſus quidem ſeminis primarius non eſt in conficiente, ſed in receptura: aſt ſecundarius in ipſo conficiente inſignis eſt, utut ſit difficilis in juvene cuſtodiæ Theſaurus, & ex effectibus a nimia profuſione productis a Boerh. §. 776. compendio relatis, legenti terrorem incutientibus, nimis eſt cognitus; quorum unum exemplo confirmat Hippocr. lib. VI. de morbis vulgaribus S. VII. *Satyrus in Thaſo cognomento Grypalopex, cum 25. annorum eſſet, ſæpius inter dormiendum ſeminis profluvium expertus eſt, eique ſemen interdiu frequenter*

promanabat. Cum autem trigeſimum annum attigiſſet, tabe correptus mortuus eſt. Affinis huic excretioni eſt Diabetes, morbus olim oppido rarus, nunc temporis vigenti infuſorum *Thëæ* & *Coffëe* abuſu longe frequentior, in quo non tantum ſubtiliorum fluidorum vitalium, verum inſuper adventitii utpote chyli fit jactura, & tandem increſcente anaſtomoſi, mictus cruentus. Natura, auctiori huic evacuationi aſſueta, omni vaſorum ſyſtemati inertiam infert, organis ſecretoriis reliquis humores in uſus neceſſarios ſecernendos ſubtrahit; hinc diabete detenti ſemper ſiticuloſi ſunt, pallent, queruntur de ſiccitate oris, faucium, gravitate ventriculi poſt cibum aſſumptum, tremunt: fœminæ ejusmodi infuſis nimis indulgentes fere ſemper chloroticæ ſunt, menſes decolores excernunt, non talem ſanguinem, qualis ſanitatis effectu fit, & ad fœtum debite alendum aptus eſt. Abſtinentia per gradus, ſubſtituendo cereviſiam aut vinum, martialia, exercitia corporis, præcipua remedia in hoc affectu eſſe ratio perſuadet. Urinæ autem excretione ſuppreſſa, omnia vaſa haud diu poſt copia onerantur, ora ſecretoria obruuntur, ſuccedit ſtagnatio, corruptio, divortium, cacochymia lethalis. Alvi perpetuo ſuppreſſæ citra notabile ſanitatis detrimentum ſunt exempla: urinæ nullum. Vivit adhuc ſanus, qui alimenta bihorio, aut trihorio ab aſſumptione quodammodo mutata rejicit.

§. XXIX.

Omnium cauſſarum motum vitalem minuentium efficaciſſimæ, frequentiſſimæ, & maxime notabiles ſunt, quæ maſſam vitalium, quoad omnes partes conſtituentes, minuunt; ut ſunt profuſiones ſanguinis ad vitam ſanitatemque neceſſarii (hæmorrhagias vocant a voce Græca αἷμα ſanguis & ῥήγνυμι rumpo) quacunque cauſſa ortæ, quocunque loco, modo, ſtatu, tempore contingant. Ratione effectuum, vel ſunt criticæ, vel ſymptomaticæ, probe a ſe invicem diſtinguendæ. *Criticæ* aut copiam nimiam ſan-

ſanguinis ſinceri, naturæ oneroſam, ut in plethoricis evacuant, aut impetum, ut in morbis inflammatoriis, affectibus quibusdam ſoporoſis, minuunt: *Symptomaticæ* motum vitalem, quo fere ſolo æſtimandæ ſunt, ſive internæ ſive externæ ſint. Exigua quantitas in ventriculis cerebri effuſa morbum infert: e contrario larga narium hæmorrhagia natum ſæpe ſolvit; hæc tum & critica & ſymptomatica eſſe poteſt: critica, quatenus morbum ſolvit; ſymptomatica, quatenus vires dejicit. Idem de aliis ſæpe obtinet, quemadmodum in morbo repetitas S. M. exigente ut in pleuritide. Spontaneæ criticæ, quamprimum modum excedunt, jam pure ſymptomaticæ dicendæ, ut nimius menſium aut hæmorrhoïdum fluxus.

§. XXX.

Eventus differt ratione loci, copia effuſi, ſubjecti. Plus periculi involvit, ſi ex pulmone ac e ſinu pudoris ſede, naribus ſanguis erumpat. Item ſtatu, magis metuendæ in debilibus, gravidis, puerperis, ac in robuſtis, non geſtantibus.

§. XXXI.

Fluxus ſanguinis periodicus ſuppreſſus omnibus vaſis vim infert, ea diſtendendo, comprimendo ſyſtema nerveum in locis, ubi magis irritabile, præprimis afficit: inde circulationes inæquales, obſtructiones, inflammationes topicæ, hæmorrhagiæ e locis inſolitis oriuntur, aut dejecto tono leucophlegmatiæ, arthritides &c. Objiciunt ex Hipp. lib. VI. S. VII. de morb. vulg. ceſſatione menſium perpetua corpus virile reddi: reſpondeo, vocabulo *virile* hic tantum intelligi quasdam conditiones viro proprias, ut barbam, vocis gravitatem, non in ſpecie ſed in individuo obſervatæ, minime corporis vigorem, judicium. Ita vero ſe habet locus Hippocr. d l. *Abderis Phaëtuſa Pythei conjux ante per juventam fœcunda erat, viro autem*

ejus exulante diu menſes defecerunt, ex quo poſtea dolores & rubores ad articulos exorti ſunt. Quæ ubi contigerunt; tum corpus virile in univerſum hirſutum eſt redditum, barbaque eſt enata, & vox aſpera reddita. Sed quum omnia, quæ ad menſes deducendos facerent, tentaſſemus, non profluxerunt, verum haud ita multo poſt vita functa eſt. Funeſta quoque menſium ſuppreſſio legitur §. ſequente ſive ultima. Innumera incommoda exceſſu aut defectu fluxus ſanguinis occurrunt apud optimos ſcriptores, magnam partem a Fr. Hoffm. in variis locis una cum cauſſis & remediis collecta. Curatio vero generalis optima petitur ex Boerh. Inſt. de Cardiac. §. 1095. & ſeqq. uſque ad

F I N E M.

A D N E X A.

I.

Omni momento in corpore ſano fiunt & ſolvuntur obſtructiones, ſed plures fiunt quam ſolvuntur.

II.

Si nervi functionibus animalibus deſtinati præter naturam ſubito tenduntur, oritur dolor, niſi ſit paralyſis; ſi lente, atonia, pareſis.

III.

Si nervi functionibus vitalibus deſtinati præter naturam ſubito tenduntur, oritur erethismus; ſi lente inertia.

IV.

Tenſio nervorum eſt cauſſa erethismi; hic inæqualis circulationis; haec multorum morborum.

V.

V.

Omnes membranæ, tendines & fibræ ſunt irritabiles.

VI.

Ubi dolor aut irritatio, aut utriusque concurſus, ibi auctus humorum affluxus & obſtructio.

VII.

Diluentia, anodyna, & evacuantia plures morbos curant, quam ſtimulantia & adſtringentia.

VIII.

Bonus Chylus eſt optimum roborans.

IX.

Uromantes ex urina graviditatem pronuncians fallitur.

SACRUM

HONORI ATQUE MERITIS

DOCTISSIMI ORNATISSIMIQUE

JUVENIS

E. MOLINI,

Cum, poſt habitam de Morbis ex Defectu motus Vitalis oriundis diſſertationem, MEDICINAE DOCTOR *renuntiaretur.*

Paean ſacrato Pythie vertice
Deſcende Pindi, nunc citharae decet
Aptare nervos, nunc ſonare
Carmina Pïeriſin canenda:

Victoris olim ceu Patrias Lyrâ
Laudes tonabas, Terrigenûm impiam
Telo cohortem quum triſulco
In Stygias pepulit tenebras.

Nam clarus alti viribus ingenî,
Prudens ſalubrique Arte Machaonis
Summo MOLINUS mox honore
Ad Patrias remeabit urbeîs:

Qui ſancta caſtarum Orgia Virginum,
Et celſa doctae Limina Pallados;
Puro tuas qui, Phoebe, cultu
Usque fuit veneratus Aras.

Ornata raris pectora dotibus
Virtus Pudori conſcia temperat,
Aſt vividae mentis vigore
Se Sophiae in penetrale mergit

Raro quieſcens: inde dies vacat
Haud ulla curis, dum vigil impigro
Sudore Doctas nunc Sorores,
Nunc Medicas colit aequus arteîs.

Miretur ecquis, ſi ſpatio brevi
Non otioſo ſedulus otio
Secreta Naturae potentis
Ingenio propiore vidit?

Jam deſinat, cum terſa revolverit
Mentis capacis ſcripta, quibus ſuae
Artisque Doctrinaeque rarae
Clara ſtupendaque ſigna promit.

Quid Pulmo, *quid Cor Vitaque ſit*, docet,
Vitaeque cauſſas, *& Vitia*, *& modos*
Queîs Sanguinis vitalis humor
Innumeras properare Peſtes

Poſſit, *minore aut ſi fluat impetu*
Non temperato: nec ſatis! *inſtruit*
Morbos medelis, ut peritus
Artis Apollineae miniſter.

Clari, ſagacem qui Juvenem manu
Finxêre doctâ atque eloquio, Viri
Laudant alumnum, cum politi
Ingenii monumenta cernunt.

Et

Et jam Minervae Lucida Sidera,
Sacrum decorâ fronde premunt caput
Lauri virentis, jamque fauſto
Augurio Medicum ſalutant.

Suffragio quin Pallados innubae
Juſtis Senatus motus honoribus
Adplaudit ultro, datque ſigna
Candida promeriti favoris.

Jam Myſta prudens hinc varias vices
Vitae, malarumque agmina Febrium
Horrenda cautè doctus atrae
Spicula franget acerba Mortis:

Ac Sanitatis rector & arbiter
Vitæ ruentis fata noviſſima
Tardabit, & morbos tremendos
Arte potens Medica repellet.

Sic cura ſollers Artis in intimos
Se-met receſſus & penetralia
Divina progreſſu ſtupendo
Abdidit, ardua quaeque vincens:

Dum nobileîs alto ingenio Viros
Grato frequentat pectore ceu Deos,
Et Dogmata horum ex ore plena
Nectaris, Ambroſiaeque ducit.

Auctor Medelae quondam Epidaurius,
Phoebea proles, ſic rudis audiit
In Pelii frondentis antro
Phillyridae monitus fideleîs.

 Mon-

Monſtrante primas Semifero vias,
Vidit Salutis; ſeu Medica manu
Sanaret ulcus, ſeu potenti
Conſilio relevaret aegros.

His nempe curis Artis amabilis
Coeleſte donum fluxit, & in dies
Tandem nova incrementa cepit,
Subruit & fera regna Leti.

O grande mundi praeſidium & decus!
O Fons ſalutis purior! O Dei
Munus faventis, quaeque vitae
Gaudia vera foves beatae!

Morbis moleſtis corpora liberas,
Sanaeque menti robora ſubficis:
Mortalium hinc coetus, Hygeia,
Te poſitis venerantur aris!

Fauſto en! benignos extulit omine
Aurora vultus, qua, Juvenum Decus
Ingens, coronam & laureati
Praemia ſumma feres honoris.

Ultro lubenti pectore gratulor
Partos triumphos, & mea barbiton
Tendens ſonantem laeta vota
Calliope, numeroſque fundit.

Bacchatur Evöe! mens mihi gaudio,
Et ſtilla laetis luminibus cadit,
Cum Tu, meae pars magna curae,
Praemia digna capis laborum.

Nunc

Nunc Dux & Auctor quod ſtudii tui
Dictus, MOLINE O optime, glorior:
Noſtra & Parentum cum tuorum
Vota pios tetigêre Divos.

Tu jamque celſis auctus honoribus,
Clarum ſuperbi nominis & decus
Ibis reportans ad Paternos
Non ſine lætitia Penateîs.

I, perge fauſto (ſic decet!) omine,
Laetasque vireîs divitis ingenî
Exprome, & adflictis ſalubri
Adfer opem venerandus Arte!

I, perge felix, perge memor tui
Vatis Magiſtrique, optime, Clercquii,
Qui lampadem accenſam fidelis
Prætulit Aonias ad undas:

Sic larga ſummi gratia Numinis
Adſpiret, Artis Pæoniae ſagax
Fineîs propages, atque curas
Gloria ſumma tuas ſequatur!

Optimo Doctiſſimoque Diſcipulo
L. M. Q.
Poſuit
E. DE CLERCQ.

AAN DEN

HEERE

EELCO MOLINUS

Toen Zyn Ed. tot LEERAAR in de Geneeskunde bevordert wierd.

Dus zie ik U, myn Vriend, der Artzen trap opſtygen,
Dus zie 'k uw noeſte vlyt, dien gy hebt aangewend
Van PALLAS *zelfs beloont, wyl zy altyd erkent*
De Naarſtigheid van dien, die roem zoekt te verkrygen.

Geluk dan, Waarde Vriend! Zy heeft u ſtaâg zien bygen
Naar deze Glorie-kroon: dees word U nu in 't end
Geſchonken, en uw Lof word meer en meer bekend.
Ongunſt moet Phoebus nooit uw' Artzeny-kunſt drygen!

Leev dus elendigen tot hulp en toeverlaat,
Op dat Gy door uw kunſt en onverſchrokken raat
Hun zyt een Æſculaap, voor wien de dood moet beven.

Dus blyv' uw naam geroemt, d' onſterflykheid gewyd!
Strek dus den Naneef tot een ſpoor in later tyd;
En laat my, uwen Vriend, in uw gedagten leven.

Sic lubens meritoque non ut voluit,
ſed ut potuit, cecinit
ENGELBERTUS VAN DER SLUYS
Med. Cand.
GORINCHEMENSIS.

TER INHULDIGING VAN DEN HEERE
ELCO MOLINUS,

Tot LEERAAR in de Geneeskunde.

Als Weet-luſt en Verſtand zig met elkand'ren paaren,
In 't bloejen van de jeugd, in 't prilſte van den tyd:
Geen wonder, dat men dan door onvermoeide vlyt
el haaſt zig kan een' ſchat van Weterſchap vergaêren.

us wiſt Gy, waarde Vriend, al vroeg uit wyze blaêren
Een voorraat op te doen, die nu uw hert' verblyd;
Terwyl APOLL' *U eert, en reeds (het ſpyt' den Nydt!)*
n' krans van Lauwerier drukt op uw' blonde hairen.

Geluk! Geluk, myn Vriend, met 't hooge Meeſterſchap!
Uw' kunſt geleid' u' voorts tot hooger Eeren-trap!
erſtel de lyd'ren, die reikhalſend na u wagten!

Maar ſchoon U 't Friesland, na u ſchreeuwend, van myſcheidt,
Ik blyv' uw' Vriend; zoo gy dus ook genegen zyt,
a u myn' liefd', nog my de uw' uit de gedagten.

J. V. OUTEREN.
S. S. Th. Studioſus.

16

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICO-PRACTICA,

DE

MEDICATIONE MORBORUM OCULARIUM SINE OPERATIONE MANUALI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA,

DE

MEDICATIONE MORBORUM OCULARIUM SINE OPERATIONE MANUALI,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate RECTORIS MAGNIFICI,

DION. GODEFR. VAN DER KEESSEL,

J. U. D. ET PROFESSORIS JUR. CIV. ORDINARII,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu,*
& *Nobiliſſimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, ac Privilegiis
rite ac legitime conſequendis,

Publicæ ac Solemni Disquiſitioni ſubmittit

FERDINANDUS DEJEAN,

BONNENSIS.

Ad diem 2. *Julii* MDCCLXXIII. *H. L. Q. S.*
Ab hora undecima ad duodecimam.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD SAM. ET JOANN. LUCHTMANS, ET JOANN. HENRIC. VAN DAMME, 1773.

V I R I S

NOBILISSIMIS AMPLISSIMIS

NATALIUM SPLENDORE,

MUNERUM AMPLITUDINE ILLUSTRIBUS,

INDIÆ ORIENTALIS

BELGICÆ MODERATORIBUS.

VIRI NOBILISSIMI AMPLISSIMI.

Abſit, ut ſexdecim volvendis menſibus orbes elapſi animo meritorum ſemper memori benefacta deleverint, quibus cumulatiſſime auctus, jurabam nullam tam longam temporis moram, nullam am ingratæ oblivionis injuriam vel leviſſimas nubeculas obducturam.

Quod vivo, quod beatus vivo, quod Palladi Batavæ operam dedi; Veſtram hanc benevolentiam, Veſtrum favorem, Veſtrum munus, agnoſco lubens. Vos! Vos vocavit & impulit; qui auſpicatiſſimum in Indiam Orientalem curſum ante tria luſtra inſtituenti, fortunarum mearum fundamentum poneretis, mihi Propitium NUMEN, Cui primas, Vobis, VIRI AMPLISSIMI! ſecundas gratias habeo, & immortales habebo.

Si memoriam veſtram, quibus copiam de plurimis bene merendi fecit, beneficium in me ignotum ac peregrinum hominem, collatum fortaſſe fugerit (nam animos vere magnos, quodcunque acceperint, ſemper delectat; at iisdem, quæcunque ipſi benefecerint, facilis obrepit oblivio) ecce me hujus infirmitatis (ſi dicenda eſt infirmitas, & non verius generoſa negligentia) monitorem.

Etſi nil habeam, quod tanta veſtra merita æquare poſſit, id tamen conſequor hoc qu[illegible]mlibet lev[illegible]

re-

dhortimento, quod infame immemoris animi vitium me quam longiſſime amoveam. Si itaque placide enigneque accipietis hanc meam, quam Nominibus eſtris Ampliſſimis, ſacram facere audeo, *Diſſerta-onem* alterum hoc erit mihi beneficium, alter favor, erum munus.

Quanquam quid poteſt æquius excogitari, quam ad Vos redire, a quibus profecta accepi. Chi-rgum ad Indiam miſiſtis, inde reverſus & interiora ippocratici ſtudii penetralia viſendi amore exardens, s meorum laborum in ACADEMIA LEYDENSI exant-orum primitias, hunc ingenii & qualiscumque in-iſtriæ fœtum, quem quintus ab hoc annus produ-t, ea, qua par eſt veneratione, ad VOS, VIRI MPLISSIMI! defero.

Plura majora lubentiſſime darem, ſi haberem: ſed eque Vos poſcitis, neque mearum virium eſt. So-voluntate non diſpliceam, quod meis deëſt viri-is, ſupleat Benigniſſimum NUMEN, Vos diu ſer-

vans

vans incolumes; firmum ſit Conſiliis Veſtris in Patriæ commoda vigilantium Præſidium, Domoſque Veſtras Omni bonorum genere adaugeat, cumuletque. Ita precatur

VIRI NOBILISSIMI AMPLISSIMI

Devotiſſimus ac Obedientiſſimus

FERDINANDUS DEJEAN.

L. B.

Conſtitueram prius pro Diſſertatione inaugurali medica tibi offerre expoſitionem morborum in navibus Inclytæ Societatis Orientalis Belgicæ, *Bataviam verſus iter facientibus, obviorum; ſed re ſerio perpenſa vidi Clariſſimos Viros in hoc negotio ſat ſuperque deſudaſſe, inter quos ſufficiet memoraſſe Clar.* S. de Monchy *Diſſertationem, quæ Actis Harlemenſibus inſerta eſt; Ingenioſiſſimi ac Illuſtriſſimi Viri* John Pringle *tractatum* de morbis Caſtrenſibus; *perſpicaciſſimi* J. Lind *tractatum abſolutiſſimum* de Scorbuto, *ac illum, qui tractat de* morbis Europæorum in climatibus calidioribus; *nec non experientiſſimi* Lud. Rouppe *diſſertationem* de morbis navigantium. *Igitur cum exarata mea diſſertatio nil vel parum novi haberet, quod ab hiſce præclaris Viris enucleatum non fuerit, hinc ab hac materia abſtinui, illam forte alia & opportuniori occaſione reſumpturus. Interim Adverſaria mea practica evolvens amplam materierum ſegetem inveni, ex qua præſens diſſertatio exſurgit: arriſit præ cæteris hujus argumenti, in Illuſtri hac Academia parum ventilati, dignitas.*

Neque hanc diſſertationem ſermone eleganti commendandam, nec ſtylo ſuo ornatiori, nec verbis concinnis tibi placituram, facile prævideo: aſt affirmare audeo, praxi ſtabilitam ac confirmatam continere materiem. Animo benevolentiori, ut illam tibi offero, ſic accipere digneris, L. B. etiam atque etiam rogo; &, ſi fructus aliquis ex illa in genus humanum redundet, lætabor. Vale & fave Auctori, L. B. Supremum interim Numen ſupplex oro, ut cœptis meis annuat.

Inter ſenſoria compoſitiſſimus oculus etſi, quam plurimas patitur vitioſitates. *Illuſtr.* H. D. GAUBII *Pathol.* §. 709.

DIS-

DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA

DE

MEDICATIONE MORBORUM OCULARIUM SINE OPERATIONE MANUALI.

§. I.

Eo uſque oculi humani cognitio anatomica provecta eſt, ut vix alia corporis pars ſit, cujus clarior de ſingulis membranis, cavitatibus, humoribus & motibus habeatur doctrina. Nam, ſi pauca excipias, ſingularum fere particularum, quæ ad fabricam oculi pertinent, rationem & uſum, cur adſint & quid operentur, aut quam functionem exerceant, adſignare licuit, in primis poſtquam luminis & colorum theoria egregie exculta, lentiumque vitrearum affectiones, ad explicandam oculi actionem commodiſſimæ, a phyſicis & mathematicis perfectius inveſtigatæ ſunt. Quamobrem morbi etiam & præternaturales hujus organi ſtatus majori accuratione examinari, eorumque curationes tali ſucceſſu inſtitui potuerunt, ut audaciſſimæ operationes chirurgicæ ſumma cum felicitate a peritis viris excogitatæ atque ſuſceptæ fuerint, quibus viſionis defectus corrigerentur & reſtituerentur. Reliquos etiam ejus morbos, quibus manus mederi nequit, ſalutaribus remediis tum internis, tum externis adgredi ars medica docuit. Quare

re neque pauci neque proletarii ſcriptores exſtant, qui hoc ſcientiæ medicæ momentum quam optime, & partim quidem ſingularibus libellis, partim inter reliqua ſua opera pertractarunt, ex veteribus HIPPOCRATES, GALENUS, C. CELSUS, P. ÆGINETA; ex recentioribus autem V. F. PLEMPIUS, P. FORESTUS, G. FABR. HILDANUS, ISB. DE DIEMERBROEK, NIC. TULPIUS, OLAUS BORRICHIUS, TH. BARTHOLINUS, A. NUCKIUS, BIDLOO, JOH. HARTMANN, JO. RAUIUS, FR. PETITUS, VALSALVA, PITCARNUS, MARIOTTE, BRISSEAU, GUILLEMEAU, H. SLOANE, WOOLHUSE, BOERHAVE, MAUCHART, HEISTERUS, PLATNERUS, IRKA, & plures alii, quorum fide & peritia trecentos fere oculares morbos a ſe invicem diſtinguere, eorum cauſas noſſe, & permultorum fortunatam & fauſtam curationem inſtituere didicimus.

§. II.

In morbis oculorum tamen accidit fere, quod de dentium doloribus per jocum affirmant, tot eſſe ad eorum curationem conſultores medicos, quot ſunt amici, aut vitæ ſocii, aut advenæ, ſæpiſſimeque unum hominem quæ juverint remedia, alteri temere & incaſſum adhiberi, in iisdem vero morbis oppoſitam aliquando medelam requiri, nec conſtantem medicamentorum circa oculorum perverſitates obſervari effectum. Cui medicationis incertitudini, pro mea tenuitate, conabor hiſce pagellis aliquale fulcrum & ſtabilimentum conciliare, *regulas ſcilicet aliquot generales proponere*, quas in curatione eorum morborum ocularium, qui operationem manualem non admittunt, obſervare oporteat.

Cui conatui ut B. L. æqui bonique conſulere velit, iterum atque iterum rogo, oroque.

§. III.

Quando ſylvam remediorum, apud dictos celebres auctores & in empirica praxi oculis deſtinatorum circumſpicio, patet, nullum præter

ter oculum corporis humani viſcus aut organon eſſe, quod tot tantisque varietatibus remediorum tractari, quod tam diverſa applicata perferre queat, ſive ea quæ per os aſſumantur, ſive ea, quæ exterius adhibentur, conſideres. Nulla enim *evacuatoriæ methodi* ſpecies ſupereſt, quæ non in iisdem oculorum morbis aliquando profuiſſe legatur; arteriotomia frontalis, temporalis; venæ ſectiones variæ; ſcarificatio; hirudinum ſuctus; ſetacea; fonticuli; uſtiones; vomitoria; purgantia plurium ordinum; diuretica tam acria, quam blandiora, diaphoretica, apophlegmatizonta per nares & os; veſicatoria tam frequenter perperam & cum damno adhibita; phænigmi & emplaſtra rubefacientia temporibus applicata. Videas omne genus *reſolventium remediorum* ſuaderi, mercurialia; antimonialia; lignorum piperacea decocta; ſalina tam alcalica, quam media; millepedum & aliorum inſectorum acrimoniam; herbas & radices amaras. Neque minus copia *emollientium* ſuadetur forma vaporis, fomenti, cataplasmatis, unguenti; ex lacte, pinguedine varia, mucilaginoſis, ovis. *Tonicorum* vel *exſiccantium* frequens in primis uſus commendatur interne & externe, deſumtorum ex alumine, vitriolis, zinci floribus; calcibus metallorum, ſaturninis, corticibus & herbis adſtringentibus. *Balſamicorum* denique, aut *ſanguinem*, uti vocant *depurantium* omnes fere claſſes adhibitas eſſe videas. Qualem inſignem remediorum & methodi varietatem in cæterorum corporis humani viſcerum morbis ſuperandis nusquam obſervamus.

§. IV.

Magnæ autem hujus varietatis cauſa præcipua, imo fere unica, ea eſſe videtur, ut, quum in reliquis partibus corporis unus tantum, vel certe pauci humores agitentur & ſecernantur, *in oculorum organo formando omnes fere naturales humores concurrant*; unde fieri omnino debet, ut ſingulorum etiam humorum vitia in oculum ingeri, ejusque que actiones turbare queant. Quin etiam dum reliqua viſcera magis ſimilarem ſolidorum fabricam habeant, *in uno oculo cuncti fere partium*

tium ſolidarum ordines reperiuntur, ideoque hujus morbi tot vicibus multiplicantur, quot ſunt ſolidarum partium modi. Natura igitur dum ad oculorum fabricam perficiendam omnes fere ſuas opes atque divitias impendiſſe videtur, pro eo beneficio duram mercedem exigit, ut oculus cunctarum reliquarum partium peccata luat, vitiorumque totius corporis particeps fiat. Ad oculi functionem ſcilicet confluunt *nervi* copioſiſſimi, & multo plures, quam in ulla alia parte; *arteriæ venæque* numeroſæ ex trunculis variis; *vaſa alba ſeroſa* & *lymphatica* ſincero albore conſpicua; *muſculi* præ cæteris omnibus mobiles valde & irritabiles; *membranæ* variæ; *membranæ corneæ*; *cartilago*; *oſſa*; *ductus excretorii differentes*; *tela celluloſa*; *cutis*; *pili*; *nerveus ſuccus*; *ſanguis*; *lympha tenerrima*; *lympha acris urinoſa lachrymarum*, ſuccus *amarus bilioſus*; ſuccus tenax *ceraceus lemarum*; *pinguedo* tenera dulcis. Ex quo mirabili partium concurſu efficitur, ut medici practici attenti, ſi vel ſolos ægroti oculos intueantur, ſingulorum fere per totum corpus diſperſorum ſolidorum & fluidorum ſtatum naturalem & præternaturalem dijudicare didicerint, & per unici hujus organi conſpectum totius corporis integritatem aut læſiones noſcant, oculorum ideoque intuitio unum ex primariis ſemiologiæ tam diagnoſticæ, quam prognoſticæ ſit fundamentum; quoniam dum reliquarum partium ſingulæ cum ſingulis tantummodo aliqualem conſenſum habent, oculi conſentiunt cum cunctis; & univerſali hac ſympathia, quidquid in cæteris bene aut male agitur, aperiunt atque demonſtrant.

De ſingulis harum partium conſtituentium breviter agemus.

§. V.

Nervorum quidem in oculis tanta vis & copia eſt, quantam nullibi reperimus: uni enim huic organo deſtinantur paria integra *ſecundum*, *tertium*, *quartum*, *ſextum*, & inſignes præterea rami paris *quinti* & *ſeptimi*, forſan etiam *octavi*. Per quos funiculos vitales copioſus perpetuo ſuccus cerebri in oculos ingeritur, quo oculi in fœtu

tu prius & citius, quam reliqua corporis organa, vigent & creant, atque dein per totum vitæ decurſum vivaces, ſplendidi, ad ntiendum & movendum aptiſſimi, *ſpasmis* autem ac *doloribus* præ is partibus ſubjecti ſunt: etſi enim phyſiologorum circa ſuccum nerſum, vel ſic dictos *ſpiritus animales*, controverſiis me immiſcere n deſidero, hoc tamen certum eſſe puto, *in cerebro* aliquam caun actuoſam, quietis impatientem & eam quidem materialem ſerni, quæ meditationibus & laboribus conſumi, ſomno autem & alepticis cibis & medicamentis reſtitui poſſit: quare quo minus ſpiuum animalium titulo inſigniamus, quid obſtat? hujus liquidi marialis ſpirituoſi bonitas & ſufficiens copia *ſplendore* manifeſtatur, 10 oculus ſanus, & præprimis juvenilis, fere inſtar adamantis coruat, quemadmodum ejus defectus *languore oculorum* ſtatim obſervailis eſt; ejusdem nimius influxus autem ſingulari illo *fulgore*, quo acundi & maniaci hominis oculi *rutilant*, manifeſtus evadit. Hic lendor in medio oculi eſt, ubi uvea tunica per corneam & retina er cryſtallinum corpus & pupillam tranſparet: nam ſplendor adnatæ nicæ ex cauſis accidentalibus, de quibus poſtea, oriri poteſt, nec eſignat muneris nervoſi rationem. Vero autem ſimile eſt, verum culi ſplendorem, vivacitatis indicem, oriri ex perpetua vibratione brarum nervearum, nunquam quieſcentium, cujus vibrationis aut emulæ oſcillationis menſuram quidem, propter ejus teneritudinem, apere non licet, ſed ex ſolius ſplendoris majori aut minori gradu ebet æſtimari. Quemadmodum adamantis politæ cuſpides majori aut inori earum agitatione plus aut minus luminarium radiorum reflectunt, ita intentior aut remiſſior fibrarum medulloſarum cerebri & ervorum motus, quem Illuſtris ac Egregius Anatomicus, P. Camerus, tam egregie demonſtravit, fortiorem aut debiliorem earum artium coruſcationem facit. Si hominem *gutta ſerena* laborantem ntuemur, ejus tunica adnata ſæpe albiſſima eſt, ſed media pars oculi ropter immobilitatem quaſi emortua apparet. Similiter *hemeralopia* t *nyctalopia* quando ſine dolore ſunt, ſolius ſyſtematis nervoſi ſunt ffectiones, ſplendorque in utroque morbo ceſſavit, & in illo quidem

cum

cum impoſſibilitate ampliandæ pupillæ, in hoc cum impedimento contrahendæ. Et hi quidem ſunt primarii morbi ex nervorum vitio ſolo oriundi, *languor* ſcilicet ac *rutilatio*, *gutta ſerena*, *hemeralopia*, *nyctalopia*: nam reliquæ viſionis læſiones & hallucinationes, uti etiam ſpasmi, dolores & paralyſes oculorum potius ex aliarum tam ſolidarum, quam fluidarum partium, quam immediate ex nervorum perverſitate fieri ſolent. Signa autem, ex quibus dijudicari poteſt in ſolis nervis morbi cauſam hærere, ſunt *primo*, ſi poſt accuratum examen conſtat, omnes reliquas corporis partes & actiones ſanas & ſalvas eſſe, aut ſi qua earum læſio adſit, nullam neque temporis neque loci ratione ejus cum ocular io morbo communionem eſſe. *Secundo*, ſi cauſſæ præceſſerint, quæ cerebri & nervorum ſyſtema manifeſte lædant, *graves animi affectus*, *capitis percuſſiones* & *vulnera*, *mercurii præpoſterus uſus*, aut *aliorum venenorum infelix adſumtio*. *tertio*, ſi cum oculorum vitio ſimul adſunt alia cerebri perturbati ſymptomata, *judicium læſum*, *memoria fracta*, *vertigo matutina*, *imaginatio perverſa*, *morbi convulſivi & paralytici*. Atque tunc non modo non prodeſt, ſed potius nocet omnis medela, quæ ad ſcopum cerebri reſtituendi non dirigitur, in primis methodus evacuans & debilitans, ut copioſa exempla docuere. Potius acerba prognoſis fieri debet, quia cerebri & nervorum, quæ quaſi radicem vitalitatis conſtituunt, læſiones difficulter ſanantur. Niſi tamen per vulnera & ſimiles ſolidarum partium læſiones morbus ſit inductus, aliqua ſpes dari poteſt per ea remedia adhibita, quorum virtus & actio in nervos per experimenta innotuit. Ubi enim nimius ſpirituum animalium in nervos oculi influxus eſt, magnum *opii* remedium habemus, cujus in ſananda nimis aucta viſione & inprimis *hemeralopia* nondum confirmata, in qua ſcilicet rigiditas pupillarium & ciliarium fibrarum nondum orta ſit, egregia vis eſt, ſi debito ordine & doſi & cum neceſſariis cautelis exhibeatur. Longe frequentiores autem illi occurrunt caſus, ubi vis nervorum debilitata requirit, ut *nervinis* & *analepticis* remediis ſufficiens ſpirituum animalium influxus reſtituatur. Cui ſcopo antiquiſſimis experimentis præcipue deſtinantur *herbæ* &

radices, ſic dictæ, *antihyſtericæ*, ſingulari, leniter ingrato odore pollentes, valeriana, nardus Celtica, allium, polium, pulegium, marum verum, ruta, aſæ fœtidæ ſuccus, & alia ejusmodi; uti & *partes animalium fœtidæ*, caſtoreum, zibethum & moſchus; item ſalia volatilia, & olea fœtida ex animalibus, ex cornu cervi, ex viperis, & ſerico, & ex ſale ammoniaco per alcali fixum præparata. Horum enim uſu diu continuato non modo *presbyopia ſenilis*, ſed etiam juvenum, nervorum debilitate affectorum imminuta viſionis claritas, uti & illa imbecillitas, quæ nimia lectione in locis illuſtratis, aut immodica applicatione ad minutias cernendas, aut microſcopicis exercitationibus inducta eſt, multum reſtitui poteſt. Quibus de remediis memorabile eſt, quod bruta animalia noctu vagantia, quæ ſcilicet in parva luce tamen acute cernere amant, velut cattus, vulpes, lupus, lutra, glis, &c. odore eorum valde alliciantur, ut etiam ſolenne ſit venatoribus fœtida ejusmodi his animantibus tanquam eſcam, quæ ad captum ea invitet, proponere, & quam hæc bruta ſæpe ex longinquo quærunt, ipſo ſcilicet inſtinctu naturæ edocta, hæc remedia ſuorum oculorum vivacitati proficua eſſe.

§. VI.

Sanguinis per arterias & venas oculorum vecti, ſi in eo morbi cauſa hæret, plane alia ratio & curatio eſſe debet. Nimia enim ſanguinis ad caput & ad oculos congeſtio morbos creat permultos, quibus non modo viſio, ſed etiam motus oculorum impediatur. Eam autem cauſam ſubeſſe docent non modo generalis hominis affecti conſtitutio, quando plethora ingens, ſpiſſitudo ſanguinis, viſcoſa ejus pinguedo, facilisque ex parvis cauſis ebullitio, & ad hæmorrhagias, præſertim narium, proclivitas moleſta eſt, ætas juvenilis. Multoque magis, ſi propter vini & ſpirituoſorum potuum nocturnum uſum, aut propter tale vitæ genus, in quo caput prominulum ſervatur, aut propter nimium calorem capiti applicatum, v. gr. inſolationem, vel ignis & flammæ frequentem conſpectum, ſanguinei humoris ad caput & oculos congeſtio facta eſt; imo etiam ſi per ſpasmos abdomina-

les, aut pedum continuam in aquis refrigerationem, aut per importunam tuſſim, in qua reſpiratio diu retardatur, vel per nimis protractam tibiarum & aliorum inſtrumentorum muſicorum pneumaticorum inflationem, ſanguinis per caput motus augetur. Ex his enim cauſis oculi *turgent*, *palpebræ* & *locus ſub palpebra inferiori inflatur*, *tunica adnata rubet*, dolet, & quandoque *inflammatur*, aut *ecchymoſis* fit, ut ſanguis coagulatus intra lamellas tunicæ adnatæ colligatur, quæ collectio ſi infortunato in *camera anteriori oculi*, aut in vaſis *choroideæ* & *uveæ tunicæ* contingit, viſum perdit, atque ſi *tunicam retinam* ſimiliter afficiat, ſubitaneam *ſcotomiam* & *amauroſin* producit. In hiſce morbis facile pervidetur, quod ab illis remediis nervinis, quæ ſuperiori paragrapho propoſita ſunt, nullus poſſit ſperari fructus, & potius omnia illa fieri debeant, quibus ſanguinis fervor temperari & ejus verſus caput congeſtio averti queat. Venæ ſectionis repetitæ, ſi nil obſtat, præcipua hic virtus eſt, tum ut per ſalia media, nitrum, ſal mirabile Glauberi & per decocta attenuantia, ſerum lactis, per eccoprotica & acidorum vegetabilium prudentem uſum, ſanguis attenuetur; imo duriori malo durior quoque cuneus eſt opponendus: ſic plus quam centies Inclytæ hujus Academiæ decus, Immortalem BOERHAVIUM ſecutus, dum in libro *de morbis oculorum*, capite *de Ophthalmia* agens, draſtica hydragoga ſuadet, habita tamen ratione, ut, peracta validioris purgantis actione, lene opiatum exhibeatur: hæc methodus una cum applicato ad oculos collyrio, loc. cit. deſcripto, toties ægris meis non ſolum ſolamen, ſed & curationem perfectam, citamque attulit. Nec minus cauſæ malum augentes & confirmantes intermitti debent: ſic a ſpirituoſis abſtineat æger, vitæ genus ad tempus mutet, &, ſi poſſibile eſt, tuſſi ſuæ aut aliis ſpaſticis morbis abdominalibus medeatur, aut naturales hæmorrhagias forte intermiſſas reſtituat medicus. Et hi quidem morbi ſatis facile ut plurimum curantur, *ſi ſcilicet a ſola cauſa ſanguinea ſunt:* nam ex ſequentibus patebit, *eosdem fere morbos ex longe aliis humorum vitiis etiam naſci*, tumque remedia temperantia, mox propoſita, inania eſſe & incaſſum plane adhiberi.

§. VII.

§. VII.

Bilis enim inter cauſas morborum ocularium ſibi multo majorem partem vindicat, quam quis crederet. Naturaliter enim *in omnibus oculis colligitur bilis, & quidem atra*, ſcilicet niger ille ſuccus, qui poſteriorem cameram & partem choroideæ tunicæ illinit, quem Nic. Pechlinus ad explicandam nigredinem Æthiopum argute & vere conſideravit, qui ſuccus in omni animantium genere, & in ipſo etiam homine, non pro æthiope minerali ex ſpiritibus animalibus mercurificatis & ſanguinis ſulphure compoſito, ut nuperrime auctori Gallo, viro cæterum egregio, viſum eſt, eſt habendus; ſed, cum guſtu ſit amariſſimus, pro vero bilioſo eſt habendus ille ſuccus, qui ex vaſculis tunicæ choroideæ & uveæ probabiliter eodem modo ſecernitur, uti amarum aurium cerumen ex vaſculis tunicæ internæ meatus auditorii. Ut autem bilioſus humor ſemper aliquam habet acrimoniam, propter quam in toto corpore calorem auget, vaſa ſtimulat, ſenſationes vividiores facit, ita videtur in oculis etiam locatus eſſe, non modo ut nigredine ſua tranſitum luminis per tunicam uveam impediret, eoque illis radiis, qui directe per pupillæ foramen intrant, majorem claritatem conciliaret, ſed etiam ut amaritie ſua & acritate nervulos ſenſiles tunicæ uveæ irritabiliores, ideoque conſtrictioni & dilatationi pupillæ magis idoneos redderet. Quemadmodum ergo bilis multorum aliorum morborum in toto corpore, & præcipue in illis locis, ubi naturaliter colligitur aut evacuatur, auctor eſſe ſolet, dum vel copia peccat, vel qualitates perverſas morboſasque acquirit, ita etiam in oculis frequentiſſimæ malæ affectiones a ſolo hoc pigmento atro, præternaturaliter ſe habente, oriuntur. Etſi per anatomiam nondum accurate detectum ſit, ex quibus fontibus niger ille humor propullulet, multoque minus per quæ vaſa reſorbeatur: eſt tamen vero proximum & analogiæ totius ſyſtematis vitalis conſentaneum, quod idem humor non ſemper ex iisdem particulis conſtet, ſed quod, ut reliqui humores, quotidie mutetur, quod particulæ quædam reſorbeantur in venas & novæ ex arteriis iterum generentur: ne-

que minus probabile eſt, hunc humorem in aliis hominibus & alio tem-
pore acriorem & fervidiorem eſſe poſſe, quam in aliis; certiſſimæ eni
& copioſiſſimæ experientiæ mihi demonſtrarunt, peſſimum illud *chroni-
cum eryſipelas internum oculi*, quod ſub titulo *ophthalmiæ chronic.*
tam in ætate infantili, quam adulta ſæpiſſime occurrit, a ſola cau
bilioſa oriri; nam ſi ex ſanguinis ſtagnatione unice hic morbus pro-
veniret, tunc non ita diuturnus foret, citiusque vel reſolvendo diſſi-
paretur, vel in ſuppurationem tranſiret & *hypopion* formaret, id eſt
abſceſſum internum oculi. *Eryſipelas* autem plane alia eſt inflamma-
tionis ſpecies, quam vetuſtiſſimi obſervatores ſemper bilioſo humo
adſcripſerunt, qui acri ſuo ſtimulo perpetuum illius loci, in que
depluit, dolorem & *diuturnam ſine eroſione* moleſtam ſenſatione
facit. Eodem etiam modo chronica illa ophthalmia ſe habet: na
locus affectus eſt uvea ſola tunica, dum plerumque oculi externi par-
tes illæſæ apparent, vel ſi qua earum moleſtia eſt, per accidens hæ
accidere ſolet; ægroti autem perpetuo oculis clauſis, aut in debiliſ-
ſima luce conſtitutis, vivere coguntur, a parvo enim radio lucis pe
pupillam tranſeunte mox acerrimus dolor ſubnaſcitur, ſiquidem pu-
pilla tunc ſe contrahens fibras nerveas aut nerveo-muſculares iridi
neceſſario movet, qui motus ſummé doloroſus eſt & intolerabilis eva-
dit: nam retinam non affectam eſſe exinde ſcimus, quia ſenſus lumi-
nis & poteſtas videndi remanet, viſio itaque non impoſſibilis, ſe
tantum doloroſa evadit. Hæc ophthalmia illis præcipue pueris fre-
quentiſſima eſt, qui *favo capitis* (vulgo *dauw-worm*) *laborant*, bi-
lioſo ſcilicet illo *favo*, *ex quo materia flava*, *melleæ conſiſtentiæ &*
guſtu amariſſima excernitur: cujus melleæ materiæ effluxus ſi ex cau-
ſa quadam præternaturali impeditur, non modo alios in corpore mor-
bos bilioſos, febres ſcilicet tertianas aut quartanas, hepatisque & lie-
nis infarctus & doloroſas viſcerum & artuum affectiones, ſed etia
ophthalmiam, *dictam chronicam*, copioſe producit. Idem diuturnu
tunicæ uveæ dolor ſæpe relinquitur poſt *morbillos* imperfecte curatos
poſt *purpuram* & *miliarem febrem* minus bene cedentem, aut poſ
importunas *tertianas* febres, in quibus ante ſufficientem bilis evacua-

tio-

tionem febriles motus ceſſant aut ſupprimuntur. Omnes enim hos morbos bilioſæ proſapiæ eſſe, etſi hoc loco id demonſtrare alienum ſit, veriſſimæ practicorum obſervationes confirmant. Quam ob cauſam hæc chronica ophthalmia tam frequenter a medicis & medicaſtris male tractatur: nam venæ ſectiones & ſudorifera & veſicantia toties improbe applicata, quia humorem ipſum illum bilioſum oculi neque emendare neque evacuare queunt, malum potius exaſperant, & reliqua reſolventia, externe aut interne adhibita, inutilia ſunt, quia fontem mali non attingunt; dum e contra quidquid bilis ardorem temperare & illius nimiam copiam ex corpore eliminare valet, ſatis prompte juvare ſoleat. Imperanda ſcilicet eſt abſtinentia a carnibus, piſcibus, ab ovis, a lacte, a vino calidiore, omnibusque quæ bilem generare & augere obſervantur; ſolis blandis vegetabilibus, farinaceis, pane bene cocto & leguminibus temperatis corpus nutriendum; concoctioni autem ciborum in ventriculo præprimis proſpiciendum eſt, non per amara medicamina, bilem augentia, ſed per lenia ſpirituoſa, veluti paucas guttas eſſentiæ corticum aurantiorum & ſimiles carminativas; præterea per quotidie repetitam tincturam rhabarbari, tam miti doſi datam, ut alvum purgando ne debilitet, aut his ſubſtitutam aliquando pulpam caſſiæ & tamarindorum, bilioſi humores perpetuo per urinam evacuandi ſunt; prodeſt etiam ſalis Glauberi vel cibarii moderatus uſus, ut & aquæ marinæ, cujus potum in hac ophthalmiæ ſpecie toties profuiſſe vidi, & cui ſimplicem aquam ſalitam cum eodem effectu multo commodius ſubſtitui poſſe, inſigniſſima obſervatio nuper adhuc ab Illuſtri ac Venerabili noſtro GAUBIO, Præceptore ac Promotore meo ad ultimum vitæ halitum colendo, evulgata in *Adverſariis* ſuis egregiis *Capite primo*, docuit. Nam ſalſa bili ſemper adverſa reperiuntur; quare etiam illæ animantium partes, in quibus materia ſalina eminet, velut millepedes, aliquem in hoc morbo fructum præſtant. Externe autem vix aliud quid præter aquam puriſſimam, vel eam leniſſime ſpirituoſam redditam, oculis imponere licet, quæ per poros bibulos aſſumpta bilioſam in oculis acrimoniam mitigare & ſimul ad reſorptionem diſponere queat.

 §. VIII.

§. VIII.

Lympha urinosa lachrymarum novus fons eſt morborum ocularium. Nam urinoſam voco, quia nulla lympha totius corporis tam manifeſte ſalſi ammoniacalis eſt; tale ſal autem præcipuum urinæ characterem facit. Salſa hæc lympha in glandula lachrymali potiſſimum ſecernitur, & tanta copia ſecernitur, ut aliquando plures ejus unciæ, pauco tempore ſuper genas & per nares lachrymantium defluentes, multa linteamina madefacere ſoleant. Ex quo ſolo phænomeno certi ſcimus, ingentem vim materiæ ſalſæ ad oculos deferri poſſe; quæ ſi moderate adfluit, oculis maxima commoda præſtat: lavat videlicet corneam tunicam, pelluciditatem ejus conſervat, & ſordes pinguedinoſas, de quibus ſequenti commate dicam, reſolvit & ne ſpiſſitudine nimia noceant, aut viſum turbent, moderatur.

Dumque eadem ſalſa materia palpebras perpetuo alluit, harum nerveas fibras quodammodo irritat & vaſa palpebrarum lemoſa ſtimulat ad excretionem; quem uſum naribus quoque præſtat, in quas dum per canalem naſalem intrat, mucum tenaciorem reſolvit, & excretionem ejus augendo cavitatem naſalem depurat. Nimis acrem autem hanc materiem ſive lympham ſalſam eſſe poſſe, vel hoc ſolum conſuetiſſimum ſymptoma docet, quod diu lachrymantibus, etiam ſanis hominibus, tota adnata rubeat, palpebræ tumeant, totusque oculus doleat: id quod eo magis contingit, ſi materia hæc ſalina lachrymalis præter naturam acrior evadit; tum enim veræ oculorum eroſiones cum inſigni dolore, rubore inflammatorio, ſæpe partium quoque vicinarum exulcerationes cum fluxu continuo copioſo ichoris naſcuntur, pinguis etiam lemoſus palpebrarum mucus nimium reſolvitur, unde margines palpebrarum exeduntur, cilia decidunt, tumensque interior palpebrarum tunica fædam inverſionem earum facit; unde morbi admodum varii, varioque nomine inſigniti, ex eodem tamen fonte manantes, oriuntur, *epiphora* ſcilicet lachrymoſa vel *lippitudo*, id eſt, abundans ac doloroſus lachrymarum chronicus fluxus involuntarius; *pſorophthalmia* vel lippitudo pruriginoſa, margines palpe-

pebrarum erodens; *maderoſis*, id eſt, ciliorum defluvium nunquam deinde renaſcentium; *ectropium* vel inverſio palpebræ inferioris; *taraxis*, id eſt, rubor continuus adnatæ tunicæ & aliquando ipſius corneæ, cujus pelluciditas abinde perit; *ulcera* totum bulbum conſumentia; *ulcera* tandem *vere cancroſa* glandulæ lachrymalis; quibus etiam narium variæ eroſiones, tanquam ſequelæ ejusdem acrimoniæ, ſæpe ſociantur. Graviſſimi hi morbi cauſas antecedentes habent omnes eas, quæ acrimoniam ſalſam in corpore vivo augent, aut ejus naturalem cum urina excretionem quotidianam imminuunt aut turbant. Ex *variolis* inprimis confluentibus bis talem epiphoram pruriginoſam & ulceroſam remanſiſſe vidi: variolæ enim confluentes a benignis ideo mihi differre videntur, quia in his contagium varioloſum ſanguinis pinguiores partes obſedit, & propterea cum vera ſuppuratione excernitur; in illis autem cum ſalſis ſeroſis particulis combinatum veræ ſuppurationis eſt incapax. Neque minus a *ſcabie ad faciem verſa*; nam etſi ſcabies per ſe nunquam faciem petat, infantes tamen, imo & adulti impatientiores frequenti manuum ſcabioſarum ad oculos adfrictu hos vere inficere & pſoram oculorum producere ſolent, ut norunt præprimis illi, quibus ſanitas cohortis militaris vel nautarum in nave degentium demandata fuit; ſique tunc plurimi individui, ut fieri ſolet, ſimul ſcabie corripiantur, hæc, de qua loquor, oculorum pſora fere ſemper obſervatur. Deinde illa *tinea contagioſa*, quæ puerorum capita quibusdam in regionibus fœdat, & a favo ideo diverſa eſt, quia in hoc ſuccus melleæ conſiſtentiæ & ſaporis amari, in illo autem cruſtæ ſiccæ, furfuraceæ, ſaporis ſalſi urinoſi ex cute exſurgunt; illa, inquam, tinea ſicca, ſi ad oculos convertitur, peſſimas ſæpe immedicabiles & cancroſas eroſiones oculorum produxit. Tum quibus urinæ naturalis fluxus ex cauſa quacumque imminuitur, ut in *affectione hyſterica*, in *aſthmate convulſivo*, *nephritide calculoſa*, *iſchuria notha*, *hydrope* & ſimilibus morbis evenit, quid mirum talia obtinere? cum venerandus PRÆCEPTOR quotannis diſcipulis ſuis in egregia ſua *Pathologia* ad §. 657. narrare ſolebat, quod, dum cubiculum ægroti cujusdam iſchuria laborantis intraret, ſæpius obſervaverit,

rit, urinoſo illo ſale & oleo alcalino & rancido ægroti perſpirationem, totiusque cubiculi atmoſphæram ſimili fœtore infectam fuiſſe, ut intranti apparuerit, urinam putreſcentem in cubiculo aſſervari, quid mirum, inquam, ſi his frequenter oculi pruriginoſi, lippientes & fluxi reperiantur? *Arthritici* ut plurimum primo intuitu a medicis pro talibus cognoſcuntur, quippe quorum oculi ſemper in margine palpebrarum rubent; ex lympha enim acriori erodente medicus ad lymphæ totius corporis præternaturalem craſin ſæpe concludit. Etiam *Hypochondriaci* illi, quorum lympha nimis acida eſt, præter alia hujus aciditatis ſymptomata moleſta, lippitudinem crebro patiuntur. Talis igitur acrimonia urinoſa, in oculos illata, plane aliam curandi viam & methodum ſibi expoſcit, quam illi, de quibus ſuperioribus commatibus diximus, morbi. Namque ut ſalſedo illa pruriginoſa ſuperetur, interna & externa remedia, eaque ut plurimum continuanda deſiderantur. Interna præcipua ex *balſamicis* conſtant, quippe quorum oleoſa & blanda conditio ſalſedinis quaſi antagoniſta exiſtit. *Radices* ſcilicet *alexipharmacæ* angelicæ, leviſtici, helenii, meu; *ſemina carminativa* aniſi, fœniculi, carvi, cumini, coriandri, tum *gummata ſemireſinoſa* myrrhæ, bdellii, opoponacis, & ipſa *balſama* cum *reſinis veris*, balſami peruviani, terebinthinæ, olibani, maſtiches; quo etiam moderatus *aloës Succotrinæ* & cum balſamis mixtus uſus pertinet. In primis in his morbis etiam prodeſt, ut ſalſæ materiæ congeſtio ab oculis ad alia loca avertatur: quare cum in ſanguineis & villoſis oculorum morbis *veſicatoria* ex *cantharidibus* graviter nocere ſoleant, *in his acribus morbis maximi uſus eſſe deprehenduntur*, ſi nuchæ; aut, quod præſtat fere, ſuris pedum applicentur & aliquoties repetantur. Propterea *diuretica* quoque remedia plus quam in reliquis præſtant: præter balſama enim paulo ante citata, in quibus ipſis vis diuretica latet, *millepedum* crebrior exhibitio, & *aquæ calcis vivæ internus cum lacte uſus*, & *ſaporis veneti* aliorumque blandiorum alcalinorum ſalium cum balſamis conjunctio. In primis autem *ventriculi digeſtioni proſpiciendum* & *bilis moderate augenda* & *roboranda eſt.* Ipſa enim illa acrimonia his præ reliquis naſcitur,

qui-

quibus in prima officina cibus non ſatis excoquitur; quare amara medicamina cum mitioribus aromatibus conjuncta, his oculorum morbis egregie medentur. Neque omittenda ſunt externa ipſis oculis applicanda media, eo ſcilicet tendentia, ut acrimonia ſalſa lachrymarum temperetur. Profunt *fumi balſamici* ex olibano, maſtiche, ſuccino in linteaminibus excepti, ſiccique & calidi ad oculos frequenter admoti. Utilitatem adferunt *aquæ deſtillatæ balſamicæ* fœniculi, roſarum, hyſſopi, calendulæ: fructum habent *abſorbentia tenerrima:* perlarum, teſtæ ovorum, tutiæ & nihili albi, cum aquis ejusmodi balſamicis in formam collyrii miſta: emolumento ſunt ipſa *ſpirituoſa* cum aquis diluta, ut ſpiritus vini antiquus & Gallicus & Rhenanus, aut eſſentiæ croci, myrrhæ & ſpiritus vini matricalis & maſtichinus. Nonnunquam *ſaturnina* remedia externa ſuum habuerunt uſum, quatenus, vaſa conſtringendo nimium acrimoniæ fluxum ad oculos reprimunt; quo caſu tamen provide agendum, ne materia a ſuo effluxu cohibita, & ad interiora oculi converſa, plus ibi malignitatis, quam in externis & bulbum ambientibus partibus ſuſcitet. Tutiorem effectum præſtant *mucilaginoſa*, ut mucilago ſeminis cydoniorum, farina fœnugræci, & ſimilia tenerrima cum lacte recenti ſubacta; quo etiam celeberrimum linimentum Equitis Britanni, HANS SLOANE, referri poteſt. Atque cum hi morbi pruriginoſi & erodentes ſæpe a ſcabioſa diſpoſitione ducant originem, ſcabiei autem *ſulphur vivum* modo ſpecifico medeatur, exempla mihi conſtant certiſſima, florum ſulphuris mixtionem cum unguento pomato, palpebrarum marginibus adfrictam, diuturnos & ad quævis alia maxime pertinaces oculorum morbos cito curaſſe. Tandem ſi eo usque hujus acrimoniæ malignitas increvit, ut cancroſa oculi metuenda ſit exulceratio, ad lenia arſenicalia externe applicanda confugiendum eſſe, experientia indubia me docuit: *arſenicum* ſcilicet *cum nitro probe fixatum*, cum vitello ovi tritum, leniſſima doſi ſolvendum eſt in aqua calcis vivæ & hæc ulcerato oculo cum linteis carptis applicanda.

§. IX.

Lemosus Mucus intra ductus ſerpentinos palpebrarum ſecretus aliorum iterum morborum ſedes eſt & cauſa. Naturaliter hic ſuccus parva quantitate ex ſanguine ſeparatur, per eosdemque marginum palpebralium poros, ex quibus ſcapi pilorum ciliarium eminent, exſudans eos margines inungit, ut nec a frequenti nictitatione ſua, nec a volantibus per aëra aſperioribus & acrioribus corpuſculis læderentur aut eroderentur. Eſt autem hic ſuccus ſpiſſus, atque tenacitate ſua omnes naturales humores corporis humani ſuperans, viſcidus inſtar ceræ, vel inſtar vernicis, inſipidus præterea aut ſubdulcis, omni acrimonia carens. Convenit fere cum illo ſucco, qui intra laryngem ex incognitis hactenus fontibus generatur, & cartilagines laryngis vernicis ſpecie quaſi obducens ad claram vocem edendam idoneas reddit. Ea etiam mucilago, quam a deſcriptore ſuo *Haverſianam* vocamus, quæ inter articulos ſecreta cartilaginum polituram & ad liberiorem motum aptitudinem facit, ejusdem cum *lemis* palpebrarum videtur eſſe naturæ & conditionis. Omnis homo ſanus mane, poſt placidum ſomnum peractum, hujus lemoſi muci portiunculam digitis ſuis averrere ſolet; nam vigilantibus per continuum palpebrarum motum ſponte conſumitur. In ſtatu autem præternaturali hic humor a debito tenacitatis gradu & a dulcedine ſua vario modo deflectit, multæque ægritudinis fundamentum ponit. Nam aliquando nimia quantitate productus *epiphoram lemoſam* vel *catarrhum palpebrarum* facit, quæ ab epiphora lachrymoſa, cujus §. 8va. facta fuit mentio, multum differt, etiamſi propter nominis identitatem a plurimis ſæpe confundatur. Si enim nimius ejus proventus ſit, palpebræ noctu conglutinantur, & cilia ita inter ſe implicantur, ut non ſine moleſtia & dolore palpebræ aperiri poſſint, niſi poſtquam tenax hoc gluten operoſe ex ciliorum nexu extricatum eſt; quin etiam interdiu palpebræ ejusdem abundantia fœdantur. Quando hæc epiphora ſine dolore & tumore & inflammatione ſuccedit, neque nimis diu protrahitur, mi-

nus

nus pro morbo, quam pro criſi quadam habenda eſt, qua ſe natura a tenacibus particulis liberans, oculorum majorem poſthac ſplendorem & mobilitatem conciliat, id quod in ætate infantili frequens bonum de ſtatu futuro oculorum & totius corporis præſagium format. Crebro autem contingit, ut hic lemoſus ſuccus non modo quoad copiam abundans, verum etiam juſto fluidior redditus, moleſtam longo tempore fluxionem faciat, cujus multi & mali ſunt effectus. Nam a nimia hujus ſucci lubricitate palpebræ emolliuntur & intumeſcunt, pori ciliorum ampliantur, cilia ipſa cum ſuis radicibus bulboſis excidunt, defenſio igitur corneæ ab illabentibus ab extra aſperis & lædentibus corpuſculis, quam a ciliorum debita poſitione habet, privatur; præterea cornea ipſa denſo quaſi glutine perpetuo obducitur, lumini impervia redditur, adeoque viſionis impedimenta fiunt, quæ *lippitudinis* ſpecies aliquando per totam vitam affligit, & propterea inprimis moleſta eſt, quod luminis radii per obſcuratam corneam, ut Illuſtris ſimul ac Expertiſſimus in adornandis experimentis phyſicis, Joh. Allamand, Præceptor meus omni obſequio colendus, in curſu ſuo experimentali phyſico demonſtravit, quod luminis radii, inquam, per obſcuratam corneam non ſinceri, ſed in colores diſtincti intrent, ut homo colores iridis perpetuo videat, & veſperi circa lucernam circulus coloratus inſtar halonis appareat, qui lectionem & quamcumque aliam accuratiorem viſionem turbat. Quod vitium ab omnibus illis cauſis, quæ mucum nimium generant, produci poteſt, inprimis ab ætate ſenili, in qua propter caloris nativi defectum & imminutum ſanguinis circulum chylus in ſanguinem minus recte commutatur, totaque ſanguinis maſſa frigidior & mucoſa redditur, a qua intemperie mucoſa per varias excretiones, ut per tuſſim ſenilem & frequentem ſcreatum benigna natura ſe liberare ſtudet, atque etiam per palpebras ſimilem pituitam copioſe evacuat. At vero etiam in juvenili ætate quodcumque mucum auget, ut habitatio in aëre humido ſubterraneo, comeſtio ciborum ſine ſale & aromate, pauperibus familiaris, ſedentaria vita, ventriculi etiam per potulenta calida ſæpius de die ingurgitata debilitatio, ejusmodi oculorum ca-

tarr-

tarrhum generat. Inprimis autem cunctæ illæ numeroſæ cauſæ, quæ œdemata & hydropem anaſarca faciunt, etiam in oculis turpe hoc incommodum pariunt. Multo autem gravior exoritur morbus, ſi hæc lemoſa materia ab excretione per ciliorum poros plane impeditur: tum enim palpebra, inprimis ſuperior, ſucceſſive intumeſcens *ſtrumam* format, tantæ ſæpe molis, ut palpebra omni motu privata oculum perpetuo claudat, ſaniſſimoque cæteroquin bulbo plenariam inutilitatem conciliet, dum radii luminis ab ingreſſu in corneam in totum excluduntur: quæ ſtruma dein per accidentales cauſas inflammata, & ad ſuppurationem tendens, ulcera diuturna parat; totum aliquando ſic oculum perdit, aut ad minimum, relictis magnis cicatricibus, gratiam & ſuavitatem faciei deſtruit.

In hoc hujus ſucci a ſanitate receſſu etiam hoc contingit, ut propter defectum lubricæ materiæ humores reliqui, præſertim lachrymalis, juſto acriores fiant; quippe quorum acritas naturaliter a lemarum præſentia temperatur, unde eroſiones bulbi oculorum & partium adjacentium fiunt non ex ipſa lachrymarum acrimonia, ſed potius ab ejus viſciditatis, quæ lachrymas temperare debebat, abſentia. Quando igitur morborum ocularium fons in cacochymia humoris lemoſi ſuam cauſam habere animadvertitur, tum alia iterum curationis methodus obtinet, ab illis, de quibus ſupra dictum eſt, plane diverſa. Eo ſcilicet omnis medici intentio collimare debet, ut lemoſo humori juſta tenacitatis menſura reſtituatur, aut etiam ejus imminuta excretio reſtituatur. Nil magis hic prodeſt, quam prudens *mercurialium* internus uſus, qui cum in cunctis ſuperius recenſitis cauſis morborum ocularium ſumme noxius ſit, in his fere omnem abſolvit paginam: Mercurio enim viſcida reſolvuntur, & adipoſi inprimis & pingues humores evacuantur, daturque occaſio, ut in loca evacuata novus dein & ſalubrior ſuccus deponi queat. Mercurius inprimis ſublimatus pauciſſimis granis, in ſpiritu frumenti diſſolutus, & pro differentia ætatis & roboris parce datus, ſed aliquamdiu continuatus, oculum ab omni tali moleſtia facile liberat. Sunt tamen & alia extra mercurium, quorum inſignis hic fructus eſt; ea ſcilicet, quæ ſub

ti-

titulo *remediorum antiſcorbuticorum* veniunt; radices acriores galangæ, zedoariæ, curcumæ, ari, pimpinellæ albæ, ſimilesque herbæ beccabungæ, cochleariæ, naſturtii, quæ in forma varia, ut notum eſt, exhiberi poſſunt, inprimis ſi ratio quædam fuerit mercurii uſum diſſuadens. *Fuligo ſplendens caminorum*, in pillulas redacta, ſpecificam utilitatem habet. His etiam externa jungere expedit. *Fonticulus* excitatus in brachio, vel in graviori caſu *ſetaceum* per cutim ductum, quum in prioribus a me recenſitis morbis parum fructuoſum ſit, in his caſibus magno emolumento eſt; nam evacuat ex tela celluloſa, ideoque ex tali loco, in quo adipoſi & tenaces & mucoſi humores naturaliter colliguntur; tela autem celluloſa per totum corpus cohærens & conſentiens mucoſitatem etiam ab oculis avertere ſolet. *Fumus tabaci* ore ſuctus, nil faciens in prioribus morbis, proficuus omnino deprehenditur, ſi a lemis vitiatis ægritudo dependet; uti etiam *ſternutatoria*, naribus attrahi conſueta, nam ſolvunt & evacuant mucum, conſentiens autem cum naribus oculus partem fructus abinde habet. Ipſis autem oculis maxime prodeſt *mel roſarum* ſæpius illiniri, cujus virtutes Magnus ac Illuſtris ille Anatomicus & Phyſiologus, B. S. ALBINUS (quem inter Profeſſores meos annumerare poſſe mihi gratulor) remedii hujus quamquam ſimpliciſſimi nobis venerandus ille vir in collegio ſuo phyſiologico communicavit, dum de morbo graviori oculi ageret; hujus enim reſolvens ac emolliens virtus in pingui tenacitate neminem latet, cui etiam *ſtimulantia balſamica* externe jungi poſſunt, eſſentia *aloes* inprimis, uti & ſpiritus *ſalis ammoniaci*, cujus volatilis vapor, præterea quod mucum potenter reſolvat, etiam nervos roborat, & in omni fere viſus debilitate prodeſt. Practicis ſuetum eſt in ejusmodi catarrhis *adſtringentia*, ut *alumen* & *vitriolum album*, collyriis admiſcere, quorum tamen adhibitio nonnunquam mala æſtimari debet; nam etſi oculos ſiccant, retinendo tamen materiam tenaciorem ſtrumas aut alios tumores producere queunt: vitrioli tamen uſus præſtat uſui aluminis.

§. X.

Adeps in reliquis corporis humani locis tot morborum auctor, etſi naturaliter intra bulbum oculi non ingrediatur, eum tamen totum cingit, orbitamque implendo bulbum & ejus muſculos & nervos fulcit, fovet ac mulcet; quare adipis *abundantia*, *defectus*, aut *acrimonia* vel *mucoſitas* morborum ocularium novam claſſem conſtituit. Si enim *abundat* nimium, tum totum bulbum ex orbita quodammodo protrudit, ut illa plica cutis externæ, quæ ſanis hominibus ad marginem inferiorem orbitæ apparet, evaneſcat aut potius in monticulum elevetur, illamque fœditatem faciei creet, quam *Buphthalmiam*, vel *oculum bovinum* vocare ſolemus, cujuſque varii gradus ſunt, viſionem quodammodo ſemper turbantes. Nam ſi hæc protuberantia magna eſt, tum bulbum oculi radiis obliquis ſolis nimis exponit, cogitque homines, ut arctius claudendo palpebras *luſcitatem* acquirant, id eſt, aperturam palpebrarum ſemper juſto minorem efficiant, quaſi per parvam rimam objecta cernentes. Cum qua luſcitate ſæpe conjuncta eſt *Myopia*: etſi enim negare nolim myopiam, id eſt, quando axis accuratæ viſionis valde brevis eſt, etiam ex corneæ aut lentis cryſtallinæ figura magis ſphærica derivari poſſe, obſervatio tamen docet, etiam ſine hac homines myopes eſſe ſola nimia bulbi extra orbitam eminentia. Quare homines natura non myopes, ſi rem propinquiorem vel minutiorem ſpectare cupiunt, ope muſculorum obliquorum bulbum quaſi extrahere conantur: ob eandem cauſam infantes & juniores omnes propter copiam adipis propius vident, ſenes autem plerique, quibus oculi propter adipis imminutionem profundiores ſunt, longius a ſe proſpicere poſſunt, propinquasque minutias non niſi ſpecillis adhibitis diſtinguunt. Unde cauſa etiam elucet, cur plerique myopes ſimul luſci ſint, presbytæ autem late palpebras aperire conſueverint. Namque *defectus* vel *inſufficiens* copia adipis neceſſario contrarios effectus producit: ſcilicet bulbus tunc ad fundum orbitæ retrahitur, neque modo motum habet impeditiorem, quia mu-

ſcul

ſculi ab adipe non ſatis fulciuntur, atque mulcentur, ſed etiam area, in qua objecta externa conſpiciunt, fit minor, pauciores quoque radios luminoſos recipiunt, ideoque quæ valde propinqua & parva ſunt, a quibus igitur propter molis minutiem copioſi radii reflecti non poſſunt, difficilius vident & propterea *presbytæ* evadunt. Unde homo, cujus adeps in toto corpore per febrem, vel per ſalivationem mercurialem, vel per quamvis aliam cauſam conſumtus eſt, cujus igitur oculi quoque profundiores in orbita abſconduntur, ſemper presbyta eſt, propinquas ſcilicet litteras legere vix poteſt, donec reſtituto per bonam diætam & analeptica vigore, & recreſcente per totum corpus adipe, orbitæ etiam denuo impleantur; tum enim presbyopia ſponte ceſſat, & axis viſionis ad priſtinam menſuram redit.

Multo autem graviora oculi mala naſcuntur, ſi adipis conſtitutio in *qualitate* peccat. Pinguedo enim orbitam implens naturaliter valde tenera, quaſi medulloſa aut butyracea eſt, ſapore dulcis atque delicata, leniter mucoſa, ut flammam alere nequeat, quemadmodum medulla oſſium quoque & butyrum pro flamma lucernæ alenda inepta ſunt, quæ igitur ſi *rancida* & *acris* evadit, eosdem morbos parat, quos medulla rancida in oſſibus, *cariem* ſcilicet *oſſium orbitæ*, inprimis illius tenerioris oſſis, quod a ſimilitudine *os unguis* appellatur, unde iniqua & raro curabilia ulcera fiunt, ſenſim ad nares ſerpentia, earum *ſeptum* erodentia, oſſi etiam ethmoideo communicata, tumque ex cerebri vicini affectione mortem inducentia, qualia in illis, qui ex venerea lue inveterata, aut ex antiquato ſcorbuto decedunt, frequentia ſunt. Frequentius tamen idem hic orbitæ adeps *nimis mucoſus* evadere ſolet, tumque ſpeciem *buphthalmi* aliam, & ab ea, quæ in principio hujus §. deſcripta eſt, diverſam facit: ſcilicet non tam ipſe bulbus ad exteriora vertitur, quam potius adnata tunica cum palpebris ſimul turgentibus. Quando quis ex mœrore diu lachrymatus eſt, aliqua hujus morbi imago ſpectari poteſt: circumferentia ſcilicet oculi inſtar globi ſuper faciem protuberat, ut ex illorum prominentia ſtatim quilibet triſtem mærentis animum intelligere valeat. Puellæ autem *chlorotico morbo* laborantes tam elevatum oculi globum oſtendunt,

dunt, ut medicus eo ſolo ſigno ductus non difficulter de natura morbi, antea etiam quam de eo moneatur, judicare ſciat. Pejor hæc extorſio in quibusdam *hydropicis eſt*, quando adipis generalis in mucum converſio etiam in capitis telas celluloſas inſinuatur. In cunctis hiſce incommodis ad ſolius adipis boni reſtitutionem omnis indicatio dirigi debet, neque tamen hujus pagellæ limites de adipoſorum morborum cognitione & cura ample ſatis dicere permittunt. Cauſæ enim vel diæteticæ a victu vel copioſiori, vel juſto parciori, vel pravo, item a ſedentaria aut mobili vitæ ratione, aut ab affectibus animi dependent, vel a veneno quodam lente ſuſcepto naſcuntur, quæ prioribus pejores ſunt; nam a reliquiis veneni *rhachitici*, aut *venerei*, aut *ſcabioſi*, aut *ſcorbutici* originem ſæpe habent; quin etiam morborum prægreſſorum emaciantium aut replentium nonnunquam conſideratio intervenit. Quare ad boni apidis generationem admodum varia remedia tam generalia, quam ſpecifica requiruntur.

§. XI.

Lympha tenerrima, quæ internas oculi cameras replet, ultimum locum in hac noſtra de humoribus oculorum conſideratione occupato. Lympha hæc inſalſa pellucidiſſima, inodora non modo anteriores binas cameras, quæ ſcilicet inter corneam & uveam, deinde inter uveam & cryſtalloideam membranam hærent, implet, verum etiam illam cameram, in qua humor vitreus eſt. Humor enim vitreus, etſi gelatinoſus ſpiſſuſque intuenti appareat, tamen ex doctrina Dexterrimi Ruyschii mera lympha eſt inter tenues & arctiſſimos membranularum cancellos ita incluſa, ut non niſi his prius perforatis effluere queat, in integro autem vitreo corpore concluſa maſſam ſolidiorem quaſi mentitur, quum revera fluxilis & mobilis lympha ſit. Omnis hæc intra bulbum oculi collecta lympha præter dubitationem ex propriis vaſculis, nondum ſatis demonſtratis, excernitur, atque in alia vaſcula naturaliter quoque reſorbetur, ideoque quotidie renovatur & regeneratur; alias enim ſuam dulcedinem &

per-

perſpicuitatem tot annis, quibus homo vivit, conſervare nequiret. Patitur hæc lympha & ſuos manes & morbos, ſed proh dolor! raro, niſi per operationem manualem curabiles. Namque *abundare* poteſt, tumque corneæ tunicæ prominentem tumorem facit, ſpectaculo fœdo. Eadem *deficere* poteſt; tum collabitur cornea & rugas agit. *Effluere* poteſt in vulnere oculi; ubi tamen, ut obſervata, inprimis autem nobile DAVIELII inventum de extrahenda cataracta, cujus emendatam & feliciſſimam praxin a Celeberrimo *Winzelio* cum maxima laude exercitatam vidimus, probant, paucis diebus tota reſtituitur & regeneratur. Eadem lympha frequenter opacatur, alienumque colorem aſſumit, non modo in ſenili ætate; ſed etiam in juvenibus, ſi cauſæ lympham turbantes vel oculo ſoli, vel etiam toti maſſæ humorum adhibentur.

Ejus obſcurationis aquei humoris generale ſignum eſt, ſi colores iridis trans corneam pellucidam, vitioque ſenſibili carentem, vel in totum conſpici nequeant, vel alieno colore tincti appareant. Cauſæ autem obſcurationis permultæ obſervantur, ut *enormis calor externe oculo admotus*, v. gr. ferrum candens, aut ejus ſcintilla, oculo propius accedens, aut alia ambuſtio quælibet: dein *omnis inflammatio uveæ* ſimilem obfuſcationem relinquit, quæ, ſi vaſa reſorbentia uveæ deſtructa fuerint, nunquam poſthac curabilis erit: tum cuncta ea, quæ lympham univerſi corporis generaliter inſpiſſant; *arthritica* diſpoſitio, *febris putrida*, *maligna*, *morbilli* frequenter, *epileptici motus*, *ſcorbutus* quandoque & *venena narcotica* copioſe aſſumta, velut *cicuta*, a cujus copioſa aſſumtione talia exempla proſtant, aut *hyoſcyamus* & *opium*, tandem *icterus* diu perpeſſus. Quæcumque autem tali hujus morbi cauſa fuerit, curatio ſemper difficilis & exitus dubius manet: lympha enim ſemel corrupta, in reliquis etiam corporis humani partibus, ægre in priſtinam integritatem reſtituitur; in oculis autem, ubi vel minima ejus labes tam ſenſibilem in viſione effectum facit, vel nunquam vel tardiſſime emendatur. Operatio manualis in paucis caſibus, nempe ſi corpus vitreum nondum opacatum, neque uvea tunica quoad ſolidas partes nimis læſa eſt, aliquid auxilii promittere vi-

detur, aperiendo ſcilicet corneam & emittendo humorem veterem, novus meliorque recreſcat: de hac autem operatione ejusque caute in præſenti tractatione non agimus. Quin certum eſt, ſi vitium ly phæ univerſale in tali corpore fuerit, aut vaſa humoris aquei ſec nentia & reſorbentia magnopere læſa ſint, nil operationem proficer quia in locum vitiati humoris exhauſti novus non minus vitiatus crefcet. Quando autem recens morbus fuerit, & cauſæ ejus non mium malignæ aut inſuperabiles, tum aliquid a medicamentis exter externisque ad hunc ſcopum directis effici poſſe non dubia exem ſpem faciunt. Ægrotus a diæta carnoſa vinoſaque, multo etiam m gis a ſpirituoſis potibus & aromatibus per annum & amplius ple debet abſtinere; carnes enim & fermentati oleoſique cibi lymph corporis humani deteriorem ſemper generant; nutriri autem debet rinoſis & ſucculentis fructuum horæorum & radicum, uti etiam o rum non acrium dapibus. Deinde, quantum ferunt vires, emeti antimonialibus diu, ſed prudenter, ſcilicet ne tanta copia aſſumantu ut ipſum vomitum proliciant, verum ut ſtimulum non ventriculo ſo ſed univerſo nervoſo & glanduloſo vaſorum generi imprimant, oportet. Cui ſcopo vinum cum croco metallorum, aut cum vit antimonii infuſum, methodo Clar. Huxhamii paratum, commo inſervit, vel unum tartari emetici granum cum ſufficienti quantita oculorum cancrorum bene conteri, atque tum in decem, vel plur æquales partes dividi, ſingulisque diebus, antequam æger cubitu eat, veſperi una portio exhiberi poteſt. Neque minus decoctum lig guajaci recentis, debita doſi per plures menſes ingeſtum, comme dari meretur. Sunt etiam, quos cortex peruvianus, diu aſſumtus juverit, cujus virtus eximie roborans totam œconomiam animalem emen dando, ejusmodi ſecretiones particulares nonnunquam reſtituit. E terna remedia hoc in malo non magni valoris deprehenduntur, niſi vapore ſpiritus ſalis ammoniaci fortiſſimi, ad oculum admiſſo, aliqui forte ſperare liceat.

§. XII

§. XII.

Quæ hactenus propoſui cuncta, eum ſcopum habent, ut, quicumque etiam morbus oculis acciderit, ſi is ex *humorum aliquo vitio* originem ſortitus eſt, in curatione ad *ſpecialem hujus humoris emendationem*, *aut revulſionem*, aut *evacuationem* reſpici debeat. Quum igitur frequentiſſimus ſit *ophthalmiæ* v. g. morbus, isque adeo pertinax ſæpe & contra multa remedia tentata rebellis, ut per plures annos duret, hominemque dulcedine lucis & vitæ privet, cogitandum eſt, quod unus hicce morbus aliquando ex *ſpaſtica nervini ſucci agitatione* & in alio caſu *ex ipſius ſanguinis fervore*, ſæpiſſime etiam ex *bilis* per hepaticas vias inſufficiente ſequeſtratione, neque minus ex *urinoſi ſalis* ad oculos nimia congeſtione, vel ex *adipis ſingulari acredine* rancida, aut ex *lemoſi ceracei humoris* defectu & blanditie imminuta, imo ex ipſius *lymphæ*, vaſa ſua & vaſa vicina obſtruentis, ſpiſſitudine fieri poſſit, ideoque pro harum cauſarum differentia longe alia ſibi medicamina poſcat, quæ ſi prudenter inquiruntur & debita cura applicantur, effectu deſiderato non carebunt. Quare ophthalmia ſæpiſſime & brevi tempore ſolis nervinis, ſtomachicis, & roborantibus medicamentis ceſſit, quæ quamdiu evacuantibus aut temperantibus tractata fuit, ſemper pejor reddebatur; alia ophthalmia ſola temperantia & ſanguinis fervorem evacuando vel emendando minuentia ſibi poſcit; aliam veſicantia & ad urinas ducentia medicamina juvant, & ſic porro, ut in prioribus latius expoſui. Eademque conſideratio non tantum in ophthalmia, ſed etiam in aliis oculorum *fluxionibus*, in *epiphora* diverſa, in *eroſionibus*, in *ciliorum defluxu*, in *lippitudine*, *ſtrumoſitate* & ſimilibus ſupra deſcriptis affectibus adhibenda erit. Niſi enim in humoris peccantis ſpecialem cacochymiam inquiramus, inutilis erit medela.

§. XIII.

Quemadmodum autem humorum ad oculos tam varius confluxus & ex eorum differentia tam differentes eorum morbi oriuntur, ita non

minus ex *ſolidarum oculi partium* ſingulari fabrica functio ejus multiplici modo turbari ſolet. Nam ſupra §. 4. jam monui, oculum ab omnibus reliquis corporis partibus in eo differre, quod nullus ſolidarum ordo reperiatur, qui non ad oculi conſtitutionem pertineat ac requiratur. Quamobrem tot etiam morbi in uno oculo poſſibiles ſunt, quot in reliquis viſceribus ſingulis fere deprehenduntur, quorumque dijudicatio ſine accuratiori fabricæ hujus cognitione difficillima eſt.

§. XIV.

Tunica Albuginea vel *adnata oculi* ex *triplici lamella* conſtat: *exterior* eſt productio ſive reflexio cutis palpebrarum cum perioſteo orbitæ firmiter connexa, & ante bulbum expanſa, in ſtatu naturali niveo candore gaudens, quæ trunculos venoſos & arterioſos pulchre ramificatos habet; reliqua exterioris lamellæ vaſcula non niſi pellucidam naturaliter lympham vehunt; ita tamen ſunt comparata, ut accedente irritatione per illapſa in oculum acria, aut ex admiſſo fumo, vel a frictu, aut a lachrymis acrioribus, rubrum ſanguinem admittere poſſint, tumque *momentaneum eryſipelas* exhibeant, quiete aut levi fotu facile ceſſans. Hunc affectum vocavere *taraxin adnatæ*, id eſt, perturbationem, ſive eryſipelas ſuperficiale, neque dolorofum, neque viſui nocivum. Sunt, quibus hæc taraxis frequentius accidit ex nimia plethora capitis, ex crapula ſcilicet; in nimis forti collaris ſtrictura; & in pectoris affectionibus, ſi ſanguinis per venas jugulares deſcenſus impeditior evadit. Si autem ſine cauſis ejusmodi externis & accidentalibus diuturna & rebellis albugineæ tunicæ rubedo infeſtat, ut plurimum de tali cauſa cogitandum eſt, quæ *perioſtea* totius corporis, quorum hæc albuginea pars eſſe videtur vel ſaltem maxime connexa cum perioſteo ſive pericranio, lædit, & inprimis quidem de *venerea labe*. Qui enim luis venereæ majorem gradum nanciſcuntur, non modo *dolores oſteocopos*, ſed plerique etiam *tunicæ albugineæ continuam inflammationem* ſine viſus deperditione patiuntur, adeo ut vaſa venoſa ſuper albugineam decurrentia, nodoſa & varicoſa evadant, non fœdo tantum ſpectaculo,

ſed cum palpebrarum etiam motus impedimento. Præterea ut reliqua perioſtea, in ſtatu naturali ſenſus expertia, ſi inflammatio accedit, graviter dolent, ita etiam *venerea* hæc *taraxis* vehementer doloroſa evadit. Hi autem ſolo *mercurio* & *lignorum* decoctis, additis tamen propter calorem doloremque temperantibus remediis, juvantur. Nam Chirurgica pertuſio varicoſorum nodulorum inſufficiens & brevis moræ adminiculum parat. Multo autem difficilius oritur malum, ſi in eadem hac lamella externa, poſt prægreſſam ejusmodi taraxin diuturnam, duriora tubercula naſcuntur, quæ *perlas* vocarunt veteres, a pterygio mox deſcribendo in eo diverſas, quod dura, elevata & ſemper ad attactum doloroſa ſunt, plane ut *nodi* & *ganglioidei* tumores in perioſteis reliquis ex cauſa venerea nati, neque aliis remediis, quam illi, curabiles, cultrum raro permittentes, præprimis quamdiu rubedo inflammatoria albugineæ durat, adfluxusque acrioris materiæ continuat. Præter dictam vero labem etiam aliorum humorum in eadem tenera albugineæ vaſa deponi ſolet, inprimis bilioſorum. Nam ex *Icteri* hiſtoria patet, hanc tunicam penitus & diu flaveſcere & a bilioſo humore tingi poſſe; quare ut in aliis membranis eryſipelata ex decubitu fellei ſanguinis, ita etiam *pertinax albugineæ taraxis* ex ſola bile abundante & huc converſa fieri poteſt, quæ igitur neceſſario alienam a priori curam requirit. Quin etiam cœruleſcere eadem membrana poteſt: quod ſi in juventute & infantia contingit, ut plurimum *futuræ phthyſeos glanduloſæ* & *meſentericæ* periculum indicat, quatenus univerſi corporis lympham a ſuo albore naturali deflectere & atrabilaria tenacitate inquinari declarat.

Altera lamella tunicæ albugineæ, quæ poſt priorem expanſa eſt, ſpeciem telæ celluloſæ refert, per quam prior illa cohæret cum tertia. Altera hæc lamella in ſtatu naturali vacua eſſe videtur, ſed præternaturaliter plura ibi concrementa naſcuntur, quæ oculo fœditatem & non raro viſui impedimentum adferunt. Nam primo ea tela celluloſa ita ampla & laxa fieri poteſt, ut exterior lamella non recte ſatis ad tertiam jungatur, ſed quaſi rugoſa evadat, rugisque ſuis palpebrarum motui quodammodo officiat, quale malum ut plurimum in

illis, qui ſalivationem mercurialem copioſam & inprimis repetitam ſuſtinuerunt, frequens eſt, ut ex eo ſolo quandoque phænomeno eos, qui tali curæ ſubjecti fuerunt, cognoſcere liceat. Si magnæ & valde exſtantes ſunt rugæ, cultellum requirunt, ut pars albugineæ reſecta reliquis ejusdem partibus ſe contrahendi majorem facilitatem præſtet. Collyria etiam aluminoſa & ſaturnina contractionem adjuvant. Deinde in eandem telam celluloſam ſe inſinuant ſæpe variæ ſordes, a quibus *maculæ* & *pterygia* varii ordinis & variæ durationis oriuntur. Pterygium enim in altera hac tunica hærere, ipſe adſpectus oculi docet, quippe tunica exterior glabra & leniter tantum elevata eſt, nulla autem aſperitas neque ullum verum tuberculum obſervatur. Hæc pterygia igitur ex *adipis* morbis originem habent, atque maxime tum oriuntur, ſi per cauſam aliquam præternaturalem adeps humanus adeo attenuetur, ut in tenerrimam hanc telam, ex qua naturaliter excluditur, intrare, ibique maſſulam aliquam pinguedinoſam deponere poſſit. Quamdiu tale pterygium in ſola albuginea eſt, viſum non impedit, accidit autem ut talis macula ſucceſſive creſcens ipſam corneam vel partem ejus tegat, tumque luminis ingreſſum turbet & imminuat. Docuit enim PRÆSTANTISSIMUS WINSLOWUS & poſt eum viderunt anatomici reliqui ſuper ipſam corneam extendi telam celluloſam, naturaliter inſenſilem fere & præ tenuitate vix demonſtrabilem, ſed quæ præternaturaliter intumeſcere & aliquid humoris peregrini recipere poſſit. Solent ejusmodi pterygia ex variis quidem adipis vitiis originem ſumere, primaria tamen ſunt: primo *rhachitis infantilis*, & quæ pterygia quidem hac ex cauſa naſcuntur poſt ſeptimum ætatis annum, ſponte ſanantur; deinde *favus puerilis*, cujus ſoboles difficilius cedit; tum *variolæ* inprimis & *morbilli* maligniores, in quibus tota tela celluloſa hominum pure ſcatet mobili, omnisque adeps funditur, ut mirum non ſit, ſordes purulentas in oculorum etiam telam celluloſam infundi. Ortus pterygiorum plerumque antecedentem vel comitem habet leniorem oculi inflammationem, quo ipſo calore & motu majori adipis ingreſſus facilitatur. Neque tamen adipoſa materia ſola pterygia formare poteſt, ſed etiam *ipſius*

ſan-

ſanguinis ex ſuis vaſculis tranſſudantis particulæ. Id enim verum eſſe ex eo docemur, quod tota hæc cellulosa tela ſanguine extravaſato ſic aliquando impleatur, ut totus oculus tanquam unus ſanguinis grumus appareat. *Sugillationem* vel *hypoſphagma* hunc morbum vocamus, qui non tantum ab externis violentiis, rudiori ſcilicet contuſione, contrectatione, aut vulneratione exoritur, ſed etiam, & frequenter quidem, a nimio nixu reſpirationis pulmonicæ, inde fiente ſanguinis verſus caput congeſtione; quare in tuſſi ferina infantum tam frequenter occurrit. Sanguis in hac parte effuſus reſolvitur quidem & in vaſa bibula venoſa reſorbetur, inprimis ſi fotus externi vinoſi & leniter acetoſi cum herbis balſamicis tepide imponantur, non raro tamen pterygium relinquit poſthac difficulter diſſipabile. Ex his autem, quæ protuli, facile patet, *pterygiorum differentem eſſe naturam, nec generalem methodum iis diſſipandis ſufficere.* Quæ enim ex *ſanguine* per arteriarum anaſtomoſes depoſita ſunt, externis quandoque remediis reſolventibus non difficulter cedunt; quæ vero ex generalibus *adipis* vitiis originem habent, raro curantur, quamdiu generalis illa diſpoſitio vinci nequit. Adipis autem generalia vitia quandoque mercurium ſibi expoſcunt; aliquando majori cum fructu antimonialia tali doſi exhibita, ut moveant, neque tamen emeſin faciant, dentur; omnium autem maxime ſtomachica remedia deſiderantur, nam quæ chylificationem ſalubrem faciunt, ea etiam bono adipi generando ſufficiunt; id quod inprimis in illis, quæ cum rhachitide, favo & ſimilibus puerilibus vitiis conjuncta ſunt, pterygiis veriſſimum eſt. Stomachica enim remedia ex cinnamomo, corticibus citri, aniſo, fœniculo cum leniſſima portiuncula aloës ſuccotrinæ plus hic præſtant, quam acerrima purgantia aut veſicantia & alia draſtica, quibus pueri ſæpe incaſſum affliguntur quippe quæ malum potius exaſperant, quam juvant. Forte non incongruum erit novum hic remedium, quod ſua ſimplicitate & efficacia ſe commendat, pro ſtomachico offerre, quodque in materiam medicam nondum introductum ſcio eo ſcopo, quodque Auditoribus ſuis, præter alia heroica in praxi remedia, Clariſſimus Gaubius in curſu experimentali chemico, dum lactis

analyſin pertractaret, candide communicavit, eſtque illud *liquor gaſtricus alicujus animalis*, v. g. *vituli*, qui dum animalium ventriculus a contentis alimentis liber eſt, continuo in ejus cavum depluens colligitur & a noſtratibus *ſtremſel* vocatur; imo hoc liquore deficiente, *ſegmentum* ipſius *ventriculi*, ſive recentis, ſive caute exſiccati, inſervire poteſt, ſi aqua frigida infunditur & maceratur, & hæc aqua cochleatim præbeatur, exinde forte in morbis ventriculi coctionem lædentibus medicamentum certius invenire poſſemus, quam in roborantibus ſtomachicis hactenus habuimus. Fonticuli tamen in brachio excitati, vel in rebelliori malo ſetacea nuchæ immiſſa fructum in iis habere ſolent, quatenus fonticuli æque ac ſetacea ex ipſa tela celluloſa immediate evacuant, ideoque particulas cacochymiæ adipoſæ ab oculis avertere & ad ulceris artificialis locum transferre valent. Frequenter talia pterygia adipoſa ſucceſſu temporis ſponte diſſipantur, quando propter ætatem aut vitæ genus mutatum totius adipis ratio in homine mutatur aut emendatur.

Tertia lamella aut *tunica membranæ albugineæ* eſt aponeuroſis vel productio tendinum quatuor muſculorum rectorum oculi, per quam bulbus ipſe cum binis ſuperioribus conjungitur & colligatur. Atque hæc ipſa tertia lamella illa eſt, quæ, quia ad ſcleroticam bulbi membranam accreſcit, eatenus etiam cum ipſa cornea tranſparente ita cohæret, ut ejus laminam exteriorem conficiat, cujus igitur vitia ad corneam ſæpe pertingunt, viſionisque immediatum obſtaculum parant. Contingit ſcilicet, ut hæc aponeurotica tunica inſpiſſetur, induretur & quaſi oſſeſcat aut cartilaginoſa evadat, id enim vitium cunctis tendinibus commune eſt. Tunc macula denſa, elevata, dura, doloris expers in confinio corneæ naſcitur, ſucceſſive ſuper corneam ſerpens, quam inſtar lunulæ primo ab uno latere tegit, magis autem creſcendo tandem magnam corneæ partem, eamque aliquando totam obducit, luminisque ingreſſum prævertendo cœcitatem infert. Cauſæ, quæ talem oſſeſcentiam producunt, variæ eſſe poſſunt, præcipua tamen & omnium frequentiſſima eſt *arthritis*, eoque magis quando materia arthritica ſuperiores corporis partes, & inprimis caput

put exercet. Quare qui *hemicraniam* & *clavum hyſtericum* aut *odontagram* patiuntur, cum tali oculorum malo ſæpe conflictari debent, ſique ſemel oſſeſcens talis macula incommodum hunc locum obſederit, raro in totum curatur. Præter arthritidem illa quoque *cacochymia*, quæ oſſium morbos, *ſpinam ventoſam*, aut *pædarthrocacen*; aut *fiſtulas calloſas* ad *oſſa pertingentes* producit, talibus maculis cartilaginoſis vel calloſis oſſeſcentibus oculorum generandis par eſt, ſi inflammatio aut quælibet alia externa occaſio eam materiam ad oculos invitet aut derivet. Neque tamen negaverim corneam & quæ eam tegit, tertiam illam albuginea lamellam quandoque a *morbis acutis male cedentibus*, *morbillis* inprimis, relinqui. Quæcumque autem cauſa prægreſſa fuerit, talis incraſſatio oſſeſcens ægre, non modo medicamentis, ſed etiam operatione manuali ſuperatur. Tamen, ſi ſubjectum ſatis robuſtum eſt, tentari poſſunt remedia interna illa, quibus *calloſitas* in genere emollitur & conſumitur. Quorum remediorum præcipua ſunt 1°. ſumma per aliquot menſes, ad ipſam inediam usque provecta ciborum potuumque abſtinentia; natura enim conſuetis ita alimentis privata vim ſuam concoctricem in callos convertit, eosque emolliendo & conſumendo in nutrimentum quaſi convertit, eaque ratione locum calloſum emollit & ſanitati reſtituit. Deinde larga decocta guajaci, cujus in fiſtularum callo diſſolvendo non parva vis eſt. Tum forte aliqua ſpes eſt in Antimoniatis remediis rite adhibitis. Externa enim *ſeptica*, quibus in aliis locis callus conſumi poteſt, propter oculi ſenſilitatem raro hic applicari queunt.

§. XV.

Palpebræ externo & rudi adſpectu viles videntur eſſe membranæ, oculo autem anatomico ſpectatæ in tam parva mole tot miracula monſtrant, ut vel eæ ſolæ incredibilis ſapientiæ Summi Creatoris teſtimonium exhibeant. Nam in palpebris habemus *lamellam exter-*

nam, quæ cutis faciei propago eſt; dein *lamellam internam* rubram, vaſis ſanguiferis non minus quam nervoſis filamentis copioſiſſimis conſtantem; tum *telam celluloſam*, inter binas ante dictas mediam; porro *cartilaginem lunulatam tarſi* titulo notam, quæ palpebris æquabilem ſemper ſine rugis extenſionem conciliat; deinde ductus lemoſos, in quibus ceraceus lemarum ſuccus ex ſanguine ſecernitur & juxta ciliorum bulbos in marginibus palpebrarum excernitur; tum ductus *lymphatico-lachrymales*, quos *hygrophthalmicos* vocarunt, lachrymarum fontes; ipſorum quoque *ciliorum* bulbos & ſcapos; tandem *mirabiles muſculos*, quibus ad ſe accedere aut diſtrahi poſſunt, ut oculi bulbus detegatur aut recondatur. Quam ob cauſam plures ſunt palpebrarum morbi, quorum, ſine accuratiore harum ad palpebras pertinentium partium notitia, rationalis cura inſtitui non poteſt. Horum morborum quosdam ſupra jam tetigi, ubi humorum lachrymalium & lemoſorum rationes pathologicas deſcriptas dedi. Quare eorum, qui ſuperſunt, brevem faciam enumerationem.

Ectropium igitur ſive *inverſio palpebrarum* eſt morbus, in quo margines palpebrarum cum rubore tumidi & tunica earum interna exterius replicata ſpectatur. In utraque palpebra fieri poteſt, ut labia retorrida exulcerati carcinomatis faciem quaſi referant. Ruber talis circulus non modo adſpectu eſt fœdus, verum etiam prurítu & palpebrarum immobilitate incommodus. Omni quidem ætati & utrique ſexui accidit, maxime tamen ſenibus & inprimis vetulis feminis familiaris, & ſæpiſſime curatu difficillimus. Illa enim curatio, quæ a Chirurgicis Auctoribus præcipitur, ut cutis ſub oculo per inciſuram lunulatam dividi, atque ſic nimia ejus ſtrictura, qua palpebram inverti putant, imminui debeat, ut plurimum inutilis eſt. Nam ſi tendo inferioris hæmiſphærii muſculi orbicularis dilaceratus aut ſuppurando deſtructus, ectropii cauſa eſt, tum diſſectio cutis ſub oculo non modo non juvare poteſt, verum potius nocet, quia palpebram immobiliorem facit, quam antea fuerat. At vero hæc cauſa rarius occurrit; potius origo mali frequentior in interiori tunica palpebræ latet, quæ tunica vaſculis copioſiſſimis plena & nulla epidermide tecta, luxurian-

tem

n format carnem, qualis in vulneribus naſci ſolet, quando humo-
s acriores ad illa alluunt, & quando non accurate in toto ambitu ſuo
chirurgo implentur & comprimuntur. Luxuries carnis, quam etiam
perſarcoſin aut *carnem ferinam* Medici & Chirurgi vocant, ut plu-
num ſingularem acrimoniam pro cauſa habet, quæ ſtimulo ſuo vim
getantem vaſculorum adauget, facitque ut extra terminos conſuetos
bles eorum excreſcat. Quare in vulneribus & ulceribus ex præ-
ntia luxuriantis carnis concludere ſolemus ſpecificam quamdam ca-
chymiam in eo corpore eſſe, cancroſam ſcilicet, vel carioſam, aut
neream, aut ſcorbuticam, aut aliam ſimilem: nam ubi talis in cor-
re acrimonia regnat, ſtatim in ulceribus ferina caro naſcitur. Ectro-
um autem, recte conſideratum, revera nil aliud eſt, quam caro
ædam ferina vel luxurians tunicæ internæ palpebrarum, quippe
æ, cum nullam epidermidem habeat, tanquam nuda & excoriata,
recens vulnus, conſiderari poteſt, & quæ ab acrimonia in eam
nslata ſimili modo intumeſcit, ut nuda caro vulnerum facere ſolet.
uare cuncta acria medicamenta non minus quam uſus ſcalpelli tan-
m abeſt, ut ectropium curent, ut potius exaſperent. In vetulis
minis præcipue ſemper fere rodentem & quaſi carcinomatoſam ha-
t acrimoniam, nec unquam plene ſuperatur; ſatis eſt, ſi malum
lerabile reddi poſſit. Tutia cum ſpiritu vini rectificatiſſimo miſta,
recenti cremore lactis contemperata, commodum unguentum eſt
o ſenibus. Si autem juvenilis ætas cacochymiam ad oculos verſam
ntraxit, neceſſe eſt ut internis remediis huic inprimis obviam ea-
r: oculis autem externe ſaturnina unguenta cum fructu applicantur.
nt tamen, qui ectropium ſine ſingulari tali humorum acrimonia
tiuntur, ſcilicet qui hæmorrhoidibus aut aliis inteſtinorum vitiis la-
orant. Mihi enim videtur interior palpebrarum tunica cum mem-
rana villoſa inteſtinorum ſimilitudinem aliquam habere, quippe utræ-
ue epidermide nudæ, vaſculoſiſſimæ & propterea facile tumentes ob-
rvantur, ideoque propter paritatem ſubſtantiæ ſimiles etiam morbos
abent.

Quamobrem tale ectropium ſæpe ſolis temperantibus & ſimul ſto-

machicis remediis, concoctionem juvantibus, & hæmorrhoides len
ter promoventibus, curandum eſt, illisque non difficulter ſuperatu
Hic ectropii tumor aliquando ſiccus eſt, ſed nonnunquam copiam nc
modicam muci fundit, muco inteſtinorum fere ſimilem, & a flux
lemoſo, quem §. 9. deſcripſi, longe diverſum. Qui fluxus mucoſi
remedia per epicraſin purgantia requirit, ut diarrhœa lenis, mucoſa
per plures dies continuata, eum oculorum fluxum, qui quodammc
do diarrhœa palpebrarum dici poſſet, ad inteſtina materiem ducend
a palpebris avertat. Nam ab epiphora lemoſa hanc, de qua nun
loquor, oculorum humiditatem mucoſam differre, non modo vaſc
rum, ex quibus funditur, diverſitas, ſed etiam hoc phænomeno
probat, quod ab hoc muco poſtremo deſcripto, ex ectropio effluente
palpebræ non, ut a lemis conglutinentur.

§. XVI.

In *palpebris* alia quoque tubercula naſci ſolent, quæ, pro diffe
renti magnitudine & duritie, nunc *hordeola*, nunc *grandines* appel
lantur & varium malignitatis gradum, varium ergo exitum habent
neque indifferentur tractari debent. *Hordeolum* enim eſt tuberculum
magnitudine & figura granum hordei fere emulans, a quo etiam nc
men traxit, ut plurimum oblongum & in ſuperiori potius, quam in
feriori palpebra obſervatum, licet etiam in inferiori quandoque occu
rat. Eſt durum quidem, neque tamen aſperum, ſed multum prurit
& poſtquam aliquot menſibus palpebræ inſedit, inflammatione acce
dente, ſuppurat, parvumque abſceſſum format, ex quo materia caſe
ſimilis, tanquam ex atheromate ſuppurante, exit, qua ſuppuration
finita omne illud tuberculum ſine ullis reliquiis diſparet, priſtinamqu
palpebræ integritatem ſine cicatrice reſtituit. Sedem ergo habet i
illis cavernulis, quæ naturaliter bulbos ciliorum continent, obſtruct
a materie lemoſa ibi ſtagnante & condenſata in caſei duritiem. Cu
ratione vix eget, quia nihil malignitatis ineſt, & a natura ſola pe
inflammationem accedentem facile & perfecte tollitur. Licet tame
ſuppurationem promovere & accelerare, applicatis externe talibus un

guen

guentis, quæ calorem partis augere, neque tamen nimia acritate oculos ipſos irritare & lædere queunt: cui ſcopo in primis rob ſambuci vetus, quod ſcilicet aliquot annorum mora paulo acrius factum eſt, convenit; hoc enim tuberculo mane & veſperi illinitum, emollit & ad ſuppurationem deducit. Maxime eo reſpiciendum eſt, ut, quando ſuppuratur, omnis materia recte & ſufficienter expurgetur. Nam ſi particula materiæ remanet, hæc magis indurata ibi fixiorem ſedem occupat, & originem novi & moleſti morbi facit, ſcilicet *trichiaſis* vel *inverſionis ciliorum*. Plures obſervationes docuerunt, hanc trichiaſin ſemper ex hordeolo inſufficienter ſuppurato fuiſſe ortam. Vocatur autem trichiaſis, quando unus vel alter pilus ciliorum, qui naturaliter ita arcuatus eſſe debet, ut ſuperficies convexa oculo obvertatur, cuſpis autem externa reſpiciat, nunc ita invertitur, ut cuſpis pili ad interiora reflectatur, illoque corneam & adnatam tunicam contingat, titillet, pruritum ibi & dolorem & eryſipelas producat: cui moleſtiæ nulla alia medela hactenus innotuit, niſi ut pilus ejusmodi inverſus, forcipe aut volſella arreptus, extrahatur, qui tamen ex ſuo bulbo intra menſis ſpatium denuo excreſcens eandem moleſtiam reproducit, eandem extractionis medelam, ut ſæpe repetatur, neceſſariam facit.

Grandinis autem longe alia, quam hordeoli, ratio eſt, etſi ab initio ſimilis videatur eſſe morbus. Grando autem, ſtatim ac apparet, durior eſt & aſpera, neque ita multo poſt oſſeam duritiem acquirit, atque, ſi in ſedem ejus accuratius inquiritur, apparet exoſtoſin eſſe cartilaginis lunulatæ, quam *tarſum* vocant. Naſcitur autem grando in illis præcipue hominibus, quibus etiam aliis in locis morbi oſſium & exoſtoſes fiunt. Neque impune hoc tuberculum acribus eroditur aut læditur; nam ſi ſemel apertum eſt, &, exteriori cuticula ablata, aërem liberum admittit, malignitatem quaſi carioſam acquirit, & ſucceſſive totum oculi tarſum exedens miſerabilem faciem reddit. Qui lue venerea eo usque infecti ſunt, ut narium oſſa & palatum & vo-

mer excedantur, hanc etiam tarſi palpebrarum deſtructionem patiuntur, dum ab initio una vel aliquot parvæ grandines apparent, in quibus roſionis principium fit, ulcere carioſo ſenſim totam marginem palpebræ excedente.

In leproſis etiam tam fœda cartilaginum tarſi conſumtio ſuccedit. Neque valde infrequens eſt etiam in illa ſcorbutica diſpoſitione, qua oſſa emolliuntur & eroduntur. Medici igitur providentia in grandinibus curandis eo tendere debet, ut quam diutiſſime maneant clauſæ, ab omni igitur irritante & acri medela abſtinebit, ſolisque internis remediis eam malignam cacochymiam, quantum poſſibile eſt, emendare tentabit.

§. XVII.

Palpebra superior ex nervi affectione *paralytica* facta, *ultro delabens*, atque *oculum obtegens*, *viſionemque impediens*, ſine ullo alio vitio externo, dicitur phalangoſis. Homo hoc morbo laborans, ſi illo oculo cernere cupit, digitis elevatam palpebram tenere cogitur. Affectus hic nonnunquam morbos ſoporoſos & apoplexiam præſagit. In hoc morbo *levator palpebræ ſuperioris* paralyſi affectus eſſe creditur. Accipit ille nervos a pari tertio: Mirum ſane, unicum eum ramum affici poſſe, reliquis ſalvis manentibus; qua de re nullus dubitat, qui elevata palpebra viderit oculum quaquaverſum ſe movere.

Curatio difficillima, plerumque niſi per operationem chirurgicam (de qua hic nobis agendum non eſt) perfici poteſt. Crediderim tamen ego, prius eſſe inſiſtendum in indicationibus paralyſi accommodatis. Accedit, quod, auctoritate Clariſſimi Præceptoris mei H. D. Gaubii innixus, auſim proponere pro remedio ſaltem tentando *oleum tartari rectificatum*, deſtillatione per retortam acquiſitum; penetrantiſſimum ac maxime reſolvens eſſe hoc oleum, omnes norunt, quod primo Clar. Ludovicus cum fauſto eventu adhibuerat; inungitur linimenti forma, vel cum cera malaxatum applicari poteſt loco adfecto. An huic morbo *electricitas?*

§. XVIII.

§. XVIII.

ACHRYMARUM VASORUM numeroſi morbi ſunt, quorum
imi efficacem manualem Chirurgi periti opem ſibi expoſcunt, id-
ie in hac noſtra tractatione non habent locum, velut *cancer glan-*
lachrymalis intra orbitam ſitæ, qui ſine totali totius oculi ex-
atione incurabilis eſt; & *ægylops inflammatorius* & ſuppurans, &
imis *fiſtula lachrymalis* confirmata, ad quam percurandam *Anellia-*
nethodus huc usque tutiſſima mihi eſſe videtur. De his igitur nunc
re attinet. Interim exempla non valde pauca fiſtularum lachryma-
ſponte vel a ſola natura, ſive manuali operatione ſanatarum,
n faciunt etiam hic leniorem viam aliquando ingredi licere. Quan-
gitur fiſtula lachrymalis recens, nec nimium inveterata, neque oſſa
enus eroſa, neque nimium purulenta, & multo minus ichoroſa
eria eſt, quæ effluit; canalis igitur naſalis obſtructus quidem eſt,
non deſtructus; tum profuit aliquando lactis vaccini recentis un-
miſcere cum ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſi drachmis duabus vel
ıs, illamque mixturam mediante plumula in eam narem intru-
, quæ in latere fiſtulæ eſt, ſæpiusque de die reſolventiſſimum hoc,
ue tamen acre, remedium ad oſtium internum ductus naſalis ap-
are, vel etiam eundem liquorem forti attractione quaſi odorando
arem adducere, & ſic per aliquot hebdomadas aut menſes conti-
re. Simul convenit ſemel aut bis in die parvum cataplasma emol-
s & reſolvens externe ſub oculo ad nares adhibere, ut ejus calore
fotu materia obſtruens mobilior & fluxilior reddita ſuæ reſolutioni,
riori medicamine perficiendæ, minus reſiſtat. Proderit ſimul in-
a dare remedia, quibus tenacitas muci & lemarum, has vias
ruentium, ſolvi & ſic externæ methodi efficacia augeri queat.

T A N T U M.

THESES.

I.

Anatomiæ ſubtilioris cognitio medicum in praxi certiorem reddit.

II.

Alimentorum digeſtio actuoſitati ventriculi & digeſtioni chemicæ potius, quam ſoli triturationi adſcribenda mihi videtur.

III.

Lac minus coctum eſt, quam ſanguis.

IV.

Triplex merito ad motum Cordis continuandum ſtatuitur cauſa, 1mo ſanguinis influxus ut ſtimulus, 2° contractio muſcularis, 3° nervorum integritas.

V.

Forte ex eo, quod venæ cordis coronariæ in ejus cava aperiantur, rarius cor inflammatione, ulcere, &c. affectum reperitur.

V I.

Quamquam omnium oculi partium utilitas ſit, & ſui cujusque proprium munus, cæteris tamen præcell videtur Retina, *quippe quæ primarium viſionis ganum eſt.*

V I I.

Naturæ Vires a medico obſervandæ, & ſi ſint ſalut res, imitandæ ſunt.

V I I I.

Juvantia & Nocentia a medico probe attendi merentu utpote per quæ morbi abſtruſioris natura nonnu quam cognoſci poteſt.

I X.

Tendines ſciſſi nunquam, Muſculi raro ſutura cruen indigent.

X.

Membrum gangræna vel ſphacelo a cauſa interna affecti non ſtatim amputandum; ſed dato interne & applic externe cortice peruviano, ut & acido ſalis commun aliisque patienter exſpectandus naturæ limes.

X I.

In pectoris Paracentheſi operatio potius in parte anteri quam in laterali & poſtica eſt inſtituenda.

X

X I I.

Omnes Paronychiæ ſpecies, præſertim ab initio, potius applicato unguento Mercuriali fortiori, quam per ſcalpellum, curandæ ſunt.

X I I I.

Ani fiſtula completa, ſive incompleta tutius, jucundius curatur ligatura filo plumbeo facta, quam per inciſionem.

X I V.

In vulneribus ſclopetariis inciſiones ſuadendæ ſunt.

X V.

Judicia circa ſanguinem e vena eductum ut plurimum fallacia & invalida ſunt.

X V I.

Medicamentorum actio a poſteriori potius quam à priori determinanda.

X V I I.

Medicamenta per chemiam acquiſita nullatenus contemnenda, cum ſint quandoque potentiſſima.

X V I I I.

Medicamenta Roborantia, Adſtringentia utplurima virtutem ſuam mutuare videntur ex terra & principio martiali, quibus conſtant.

X I X.

Venena caute adhibita maximam quandoque in curan-dis morbis præſtant efficaciam.

X X.

Ex ignorantia Chemiæ haud raro errores a medici-ſub formularum præſcriptione oriri ſolent.

X X I.

Quando natura eſt in vehementi motu & impetu conſti-tuta & paroxyſmi vigent, nunquam fortiores commo-tiones aut evacuationes moliendæ ſunt, ſed potius mo-tus ſunt moderandi & ad temperiem reducendi.

X X I I.

Convenit interdum motus effrænes morboſos compeſcere relicta ad tempus eorum cauſa.

X X I I I.

Tempeſtive & ſtatim in principio occurrendum eſt mor-bis, atque materia, quæ in vitio eſt, via quæ eſt breviſſima, evacuari debet.

X X I V.

Trinum eſt Medicinæ clinicæ fundamentum: MORBOS COGNOSCERE, DIGNOTOS JUDICARE, JUDICATOS CURARE.